THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY

OF

DUKE UNIVERSITY

Rare Books

בישוע ישועתי

EXERCITATIO HISTORICO-THELOGICA

De

HENOTICO ZENONIS,

Quod habetur apud Evag. Lib. III. Cap. 14. & Niceph. Lib. XIV. Cap. 12.

Quam

In Inclyta Argentoratenſi Univerſitate

PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. BALTASARE BEBELIO,

SS. Theol. D. & Profeſs. P. Celeberrimo, Summi Templi Eccleſiaſte, & Inſpectore Collegii Wilhelmitani graviſſimo.

Domino Præceptore, Fautore & Patrono ſuo ſanctè pieq; obſervando.

SOLENNITER EXAMINANDAM PROPONET die 16 Julii Anno M. DC. LXXIII.

JOACHIMUS Dieterdt / Hamburgenſ.

Auth. & Reſp. H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

11

VIRIS
DE ECCLESIA HAMBURGENSIUM
ORTHODOXA
Optimè meritis,
MAXIME REVERENDIS, AMPLISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS:

DNN. SENIORI, ET PASTORIBUS,

Ut Et

PLURIMUM REVERENDIS, & PRÆCLARISSIMIS,

DNN. ARCHIDIACONIS ET DIACONIS,

Dominis ſuis Patronis, Promotoribus ac Fautoribus plurimum colendis & obſervandis:

Diſſertationem hanc Hiſtorico-Theologicam
qualem qualem, tanquam pietatis teſtem, & debitæ obſervantiæ ac gratitudinis
ſignum.

Ea qua par eſt obſervantia,
dicat & conſecrat.

JOACHIM. Dieterdt/
Auth. & Reſp.

BALTASAR BEBELIVS, SS. Theol. D.

Lecturis εὐπράττειν!

V*Nam credo Eccleſiam*! Symbolica confeſſio eſt, & multorum in ore, hodiè præſertim, & hactenus, dum pacem inter Chriſtianos Eccleſiaſticam multi ſtudioſe moliuntur. Dolendum vero pleroſque, dum concordiæ ſtudent, à vera unitatis ratione aberrare. Unam utique oportet eſſe Eccleſiam; *Certe una eſt, quæ ex voce Chriſti meruit indicari, qui ait: Una eſt columba, una eſt ſponſa mea.* Sic Optat: *Milev. lib. II. adverſ. Parmen. lib. II. p. m. 53.* qui alibi exiſtimat, *unitatem ſummum bonum eſſe: lib. III. p. m. 109.* Ea verò una eſt, quæ in Chriſto una eſt: *Specioſum quidem nomen eſt pacis, & pulchra eſt opinio unitatis: ſed quis ambigat, eam ſolam Eccleſiæ atque Evangeliorum unitam pacem eſſe, quæ Chriſti eſt?* Sic ille *contra Arianos Latini Sermonis tuba* (Judice Hieronymo Apol. adv. Ruffin.) *Hilarius, lib. adv. Auxent. f. 213.* Nempe ea una eſt, quæ eſt indiviſa in ſeſe, fide & charitate; *Eph. IV. 3. ſeqq.* qua fideles ſibi invicem & majoribus ſuis connexi ſunt: Ἔστι γάρ, ὡς οἱ πατέρες παραδεδώκασιν, ὄντως διδασκαλία, καὶ διδασκάλων ἀληθῶς τοῦτο τεκμήριον, τὸ τὰ αὐτὰ ἀλλήλοις ὁμολογεῖν, καὶ μὴ ἀμφισβητεῖν, μήτε πρὸς ἑαυτοὺς, μήτε πρὸς τοὺς πατέρας ἑαυτῶν. Οἱ γὰρ μὴ τοῦτον διακείμενοι τὸν τρόπον, μοχθηροὶ μᾶλλον, καὶ οὐκ ἀληθεῖς καλοῦνται διδάσκα-

λοι. Ἕλληνες γοῦν οὐχ ὁμολογοῦντες τὰ αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητοῦντες, οὐκ ἀληθῆ τὴν διδασκαλίαν ἔχουσιν. Οἱ δὲ ἅγιοι καὶ τῷ ὄντι τῆς ἀληθείας κήρυκες ἀλλήλοις τε ξυμφωνοῦσι, καὶ οὐ διαφέρονται πρὸς ἑαυτοὺς. Εἰ γὰρ καὶ διαφόροις χρόνοις γεγόνασιν, ἀλλ' εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις ὁρμῶσιν, ἑνὸς ὄντες τοῦ Θεοῦ προφῆται, καὶ τὸν αὐτὸν συμφώνως εὐαγγελιζόμενοι λόγον: *Eſt enim ibi, ut Patres tradiderunt, veræ diſciplinæ & Magiſterii argumentum, ubi eadem confitentur, nec à ſe invicem, nec à majoribus diſſentiunt. Qui igitur hoc animo ſunt, mali potius, quam veri, Præceptores appellari debent. Certè Ethnici, cum nec eadem profiteantur, ſed interſe diſcrepent, veram diſciplinam non habent: Sancti contra, ſynceræ ſunt veritatis præcones, eò quod inter ſe ſententiis conveniunt, & nullo diſſidio laborant. Licet enim diverſis temporibus vixerint, æquè tamen ſimul eodē tendunt, unius Dei Prophetæ, & ejusdem verbi præcones.* Sic *Athanaſ. in Decret. Synod. Nic. t. I. fol. 252.* B. deſcribit: Oportet tamen eandem etiam diviſam eſſe ab alio quovis cœtu, qui doctrina, & affectu ab ipſis fidelibus genio abhorret. *Una fides hoc loco ab hæreticorum & ab eorum varia fide, fides unica ſeparatur.* Ejusdem *Milevitani ex lib. V. p. 142.* verba ſunt. Neque fieri poteſt, quin odium ſit mutuum, ubi mutuus eſt in religione diſſenſus: *Speciem amicitiæ proferunt, cum interim, ut hoſtes, ad perniciem nos quærant. avidi ſanguinis noſtri, & è medio tollendi cupidiſſimi, eò quod ab eorum impietate diſſenſimus ſemper, & perpetuò diſſenſuri ſumus, eorum hæreſin convictam argumentis traducentes*; Ita idem ille, ὁ ταῖς τῶν ἀνοσίων αἱρετικῶν αἱρεσιολογίαις ἄμαχόν τινα καὶ ἀποστολικὴν ἀντιτάττων σύνεσιν, *qui profanorum Hæretico-*

reticorum commentis invicta planeque Apoſtolica ſapientia reſtitit, Cyrillo judice, *Athanaſius, in Apol. ad Imperat. Conſt. t. 1. f. 702.* Et licet aliquam præ ſe ferant benevolentiam Heterodoxi, ea tamen ex ſincero corde non proficiſcitur; *Pugnamus contra perſecutorem fallentem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum, qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat: non proſcribit ad vitam, ſed ditat in mortem: non trudit carcere ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſervitutem: Non latera vexat, ſed cor occupat: Non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit: Non ignes publice minatur, ſed gehennam privatim accendit: non contendit, ne vincatur, ſed adulatur, ut dominetur. Chriſtum confitetur, ut neget: unitatem procurat, ne pax ſit: Hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint: Sacerdotes honorat, ne Epiſcopi ſint: Eccleſiæ tecta ſtruit, ut fidem deſtruat. Te in verbis, te in ore circumfert, & omnia omnino agit, ne tu ut DEUS, ita pater eſſe credaris.* Idem ait *Hilarius, lib. adverſ. Auguſt. Conſt. fol. 199.* Quare oleum operamque perdunt, quotquot diſſentientes, dum inter ſeſe diviſi ſunt ſententiis, invicem ſibi conciliare allaborant.

Exemplo ſit Zeno Imperator. Nam & ille conabatur diſſentientes inter ſeſe, hinc Eutychianos, inde Orthodoxos, ad mutuam unionem revocare, ſed quam inani illud opera, eventus, ut alia omittamus, edocuit manifeſte. Pluribus hæc explicaremus, niſi id muneris occupaſſet *Vir-Juvenis Præcell. atque Clariſſ. Dn. Joachim.* Dieterdt *Hamburgenſ.*, inter ſtudioſos Theologiæ Argentoratenſes facilè primos computandus. Dederat ille ha-

ctenus operam Philologiæ ſacræ, & ſolidiori Theologiæ, cum animum applicaret ad hiſtoriam quoque Eccleſiaſticam; In qua quos profectus brevi feciſſet, edito aliquo ſpecimine voluit declarare. Delegit autem, noſtro qualicunque uſus conſilio, materiam, in quali nos quoque olim, & alii ſub noſtro ductu, deſudavimus; Delegit enim *Henoticum Zenonis* examinandum, & ventilandum, idque ideo, quia tempori illud inſervire haud immerito exiſtimavit: Digeſtum illud in ſua membra expendit accuratè ad libram Scripturæ Sacræ, & regulæ Eccleſiaſticæ, deprehenditque, levius eſſe, quam ut uſum in re tanti momenti haberet. Laudem, quam inde meruit, ipſum hoc ſpecimen loquitur, ut opus non ſit exquiſitis eam verbis deprædicare; DEUM modo precamur, ut Spiritus ſui Sancti gratiam in præſtantiſſimo hoc organo conſervet, & indies adaugeat, donec Ipſum Eccleſiæ aliquando admoveat ædificandæ!

§. I.

§. I.

MEmorabile illud Salomonis omnium ſapientiſſimi dictum : אין כל חדש תחת השמש: *Eccl.* I. verſ. 9. non repugnare Veritati, ſed maximè conſentaneum eſſe, etſi aliqua nova Deus produxerit hodiéque producat; natura in variis ſignis & prodigiis nova oſtentet; & ars in recens inventis, nunquam vel viſa vel audita ante oculos ponat, videmus; cum Proverbium hoc ad *mores referimus mortalium, &* aſſerimus hominum ſtudia & conatus ad felicitatem non eſſe novos, nec novas ad animi tranquillitatem vias iniri ab hominibus noſtri hujus ſeculi, Salomonem quoque agere h. l. *non de rebus naturalibus & artificialibus, ſed moralibus & civilibus*, quod in illis *nil accidat ſub ſole novi.* Non autem eſt jam noſtri inſtituti, varias vel afferre Interpretum ſententias, vel accuratam hujus dicti ponere exegeſin; ſufficiat nobis pro hac vice, illud ad propoſitum noſtrum inſtitutum applicare. *Nil eſt ſub ſole novum*, inquit Salomon; & hoc non tantum quotidiana comprobat experientia, ſed & ex propoſita & ſequente diſſertatione, bono cum DEO, clarum fiet. Exemplum habemus Zenonem, Romanorum Imperatorem infelicem & vitiis variis deditum: Hic enim expulſus à Baſiliſco, cum victis ejus copiis regno reſtitueretur, unicè operam dedit, ut Chalcedonenſes cum Eutychianis conciliarentur, ſicq;, ut ille putabat, aurea Pax Eccleſiæ reſtitueretur. Prætextus erat Harmonia utriusque ſententiæ, in uno tertio, nempè *Symbolo Nican. Conſt. & Epheſin.* convenientis; cui deinde Imperator, ut eo facilius finem obtineret ſuum, varia & ſpecioſa argumenta addebat. Hodie quid fiat, in vulgus notũ eſt: Ea enim noſtra ætate Eccleſiæ ferè eſt facies, quæ tum fuit, cũ inter Orthodoxos & Eutychianos de duabus in Chriſto natu-

ris

ris diſceptaretur, & Syncretiſtæ, quos hodie appellamus, exacte Zenonis ſequuntur principia. Uti enim hic ſuo tempore Symbolorũ trium generalium ſufficientiam urgebat, & vel non ſatis accuratè Eutychianorum technas noſcens, vel poſtpoſita vera religione tantum ſecuram Imperii corroborationem quærens, nullum agnoſcere volebat diſſentientum diſcrimen: Sic & jam plurimis ac ſummis alias viris perſuadetur, non eſſe inter *Pontif. Calvin. & Lutheran.* diſſenſum, qui fundamentum fidei concernat; quare mutuam tolerantiam eſſe ſanciendam, & in confeſſione *Symboli Apoſtol.* acquieſcendum. *Vt itaque hodie Pacis Eccleſiaſticæ negotium tractatur à Syncretiſtis, ſic & olim fuiſſe tractatum*, theſes ſequentes docebunt.

§. II.

Ne autem exiſtimemus, ſolum hunc Zenonem conatum eſſe, ut hiſce mediis exoptatiſſima ſcil. pax Eccleſiæ, plenis, quod dicitur, inveheretur velis, ſuperioribus etiam annis, ſub Præſidio *Pl. Reverendi & Excell. Dn. D. Præſidis*; diſſertationes, tum ad *Irenicum Conſtant. M.* (ab ipſo Dn. D. Præſide elaborata) vid. *Euſeb. in vita Conſt. L. II. f.* 135. *vel in* lat. ling. *Euſeb. in vita Conſt. Lib. II. c.* 63. 70. *p. m.* 182. cum ad *Encyclicas Baſiliſci*; de quibus *Evagr. L. III. f.* 146. *b. vel in* Lat. verſion. *L. III. c.* 4. *p.* 994. ſatis concinnè & eruditè ſcriptæ, ſunt productæ: Quæ oſtendunt, & hiſce Imperatoribus fuiſſe curæ, ut pax qualiſcunque Eccleſiæ reſtitueretur; Non enim in re levioris momenti adeo eſſe diſceptandum putabãt. Itaq; & mihi, ingenii ſpecimẽ pro hoc tempore edituro, materiam propoſitam, *Henoticum* nempè *Zenonis*, ſupradictis diſputationibus affinem, *Pl. Rever. & Excell. Dn. D. Præſes*; *Fautor & Præcept. meus plur. colendus*, hiſce in turbulentis Eccleſiæ temporibus, ubi Syncretiſmi imminet quaſi diluvium, ſuppeditavit elaborandam, quæ egregia certè & plurima ſubdolæ pacis arcana continet. Ad hanc quæ notanda, orthodoxè quidẽ ſpero omnia, ſic non ſatis forſan concinnè ac ornatè, cum & ingenii imbecillis tenuitas obſtet, nec curta mea ſuppellectilia ſufficiant, proponã; intimis autem piisq; ſuſpiriis divinam imploro ſapientiã, ut mihi gratioſa Spiritus S. gratia adeſſe velit, & ita calamum dirigere vel ducere meum, ut ex iis, quæ ſecundum vires, Dei gratia conceſſas, ſcripta ſunt, aliquid utilitatis capiamus, ac nos ædificemus.

Henoti-

§. III.

Henoticum hoc quod vocamus *Zenonis* ſive Epiſtola conciliatrix, cujus analyſin hac in diſſertatione occupati ſumus proponere, habetur *græcè* apud *Evagr. Lib.III. c.14. p.p.149.* & *latinè* in *verſ. Evagrii: Lib.III.c. 14. pag. 999.* & *Niceph. Lib. XVI. c. 12. pag. 834.* Integrum h. l. illud, uti totius Diſputationis argumentum apponemus.

Αὐκράτωρ καῖσαρ ζήνων, εὐσεβὴς, νικητὴς, τροπαιοῦχος, μέγιστος, ἀεισέβαστος, αὔγουστος, τοῖς κατὰ ἀλεξάνδρειαν καὶ αἴγυπτον, καὶ λιβύην, καὶ πεντάπολιν εὐλαβεστάτοις ἐπισκόποις καὶ κληρικοῖς, καὶ μοναχοῖς, καὶ λαϊκοῖς, ἀρχὴν καὶ σύστασιν, δύναμίν τε καὶ ὅπλον ἀκαταμάχητον τῆς ἡμετέρας εἰδότες βασιλείας τὴν μόνην ὀρθὴν καὶ ἀληθινὴν πίστιν, ἥν τινα διὰ τῆς θείας ἐπιφοιτήσεως ἐξέθεντο μὲν οἱ ἐν νικαίᾳ συναθροισθέντες τιή ἅγιοι πατέρες. ἐβεβαίωσαν δὲ οἱ ἐν κωνσταντίνου πόλει ρν΄ ὁμοίως ἅγιοι πατέρες συνελθόντες νύκτωρ τὲ καὶ καθ' ἡμέραν, πάσῃ προσευχῇ καὶ σπουδῇ καὶ νόμοις κεχρήμεθα, πληθυνθῆναι δι' αὐτῆς τὴν ἁπανταχόσε ἁγίαν τοῦ θεοῦ καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, τὴν ἄφθαρτον καὶ ἀτελεύτητον μητέρα τῶν ἡμετέρων σκήπτρων, εἰρήνῃ τὲ καὶ τῇ παρὰ θεοῦ ὁμονοίᾳ τοὺς εὐσεβεῖς λαοὺς διαμένοντας, εὐπροσδέκτους τὰς ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας βασιλείας ἱκετείας προσφέρειν, σὺν τοῖς θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις καὶ θεοσεβεστάτοις κληρικοῖς, καὶ ἀρχιμανδρίταις καὶ μονάζουσι. τοῦ γὰρ

Zeno Imperator, Cæſar, Pius, Victor, Triumphator, Max. ſemper Auguſtus, reverendiſſ. Alexandriæ, Ægypti, Libiæ & Pentapolis epiſcopis, clericis, monachis, & laicis S. Quoniam pro certo ſcimus, Imperium noſtrum à ſyncera ſolùm & vera fide tum initium habuiſſe, tum ſtabilitum eſſe, tum robur ac præſidium, quod expugnari nequit, ex ea ſumpſiſſe (quam quidem fidem divini Numinis inſtinctu trecenti decem & octo ſancti patres Nicææ congregati expoſuerunt, quamq; etiam confirmarunt centum & quinquaginta ſancti patres Conſtantinopoli coacti) noctes dieſq; non precibus ſolùm, ſed ſtudio omni & legibus ſancitis laboravimus, uti ea in ſancta, Catholica & Apoſtolica DEI Eccleſia, quæ ubique terrarum eſt, quæq; immortalis & ſempiterna noſtri principatus quaſi parens eſt, plenè perfectéq; expleatur: piusq; DEI populus in pace & divina concordia perſeverans, gratas acceptasq; pre-

μεγάλου θεοῦ ϗ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου ϗ θεοτόκου μαρίας σαρκωθέντος καὶ τεχθέντος τὴν ἐκ συμφωνίας δοξολογίαν καὶ λατρείαν ἡμῶν ἐπαινοῦντες, καὶ ἑτοίμως δεχομένου τὰ μὲν τῶν πολεμίων ἐκτριβήσεται, καὶ ἐξαλειφθήσεται γένη. πάντες δὲ τὸν οἰκεῖον ὑποκλινοῦσιν αὐχένα τῷ ἡμετέρῳ μετὰ θεὸν κράτει. εἰρήνη δὲ, ϗ τὰ ἐκ ταύτης ἀγαθὰ ἀέρων τε εὐκρασία, ϗ τῶν καρπῶν εὐφορία, ϗ τὰ ἄλλα δὲ τὰ λυσιτελοῦντα τοῖς ἀνθρώποις φιλοτιμηθήσεται. οὕτως οὖν τῆς ἀμωμήτου πίστεως ἡμᾶς τε ϗ τὰ ῥωμαϊκὰ περισωζούσης πράγματα, δεήσεις ἡμῖν προσεκομίσθησαν παρὰ θεοσεβῶν ἀρχιμανδριτῶν ϗ ἐρημιτῶν, ϗ ἑτέρων αἰδεσίμων ἀνδρῶν μετὰ δακρύων ἱκετευόντων ἕνωσιν γενέσθαι ταῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, συναφθῆναί τε τὰ μέλη τοῖς μέλεσιν. ἅπερ ὁ μισόκαλος ἀπὸ πλείστων χρόνων χωρίσαι κατηπείχθη, γινώσκων ὡς εἰ ὁλοκλήρῳ τῷ τῆς ἐκκλησίας σώματι πολεμῶν, ἡττηθήσεται. συμβαίνει γὰρ ἐκ τούτου ϗ γενεὰς ἀναριθμήτους εἶναι, ὅσας ὁ χρόνος ἐν τοσούτοις ἔτεσι τῆς ζωῆς ὑπεξήγαμεν, ϗ τὰς μὲν τοῦ λουτροῦ τῆς παλιγγενεσίας ἐστερημένας ἀπελθεῖν, τὰς δὲ τῆς θείας κοινωνίας μὴ μετασχούσης πρὸς τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀπαραίτητον ἐκδημίαν ἀπαχθῆναι, φόνους τε τολμηθῆναι μυρίους, αἱμάτων πλήθει μολυνθῆναι μὴ μόνον τὴν γῆν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸν

cationes unà cum ſanctiſſimis epiſcopis & clero pietati deditiſſimo, & monaſteriorum præpoſitis & monachis, Deo pro noſtri Imperii conſervatione offerat. Nam ſi præpotens Deus & ſervator noſter IESVS Chriſtus, qui ex ſancta virgine Maria Deipara carnem ſumpſit & natus eſt, noſtras conſentientes laudes & cultum quem ei tribuimus, approbet, lubensq́; & quaſi parato animo excipiat: non modò omnia adverſariorum genera, fracta debilitatáq; concident, verùm etiam alii omnes mortales ſuam ipſorum cervicem jugo noſtri Imperii, proximè ac ſecundum Deum, ſponte ſubjicient: & pax ejusq; commoda, æquabilis aëris temperatio, fructuum cujusque generis abundantia, aliáque omnia quæ ſunt ad humanæ vitæ uſum accommodata, affatim ſuppeditabuntur. Iam igitur cum conſtet inter omnes, nos Imperiumque Romanum ſynceræ fidei ſubſidio conſervari, afferuntur nobis libelli ſupplices à piis monaſteriorum præfectis heremitis, & aliis reverendiſſimis viris, qui nos vehementer obteſtantur, ut ſanctiſſ. Eccleſiis reſtituatur concordia membraque membris conjungantur, quæ hoſtis probitatis dæmon jam longiſſimo temporis ſpacio dirimere pro

ἀέρα..

ἀέρα. ταῦτα τὶς οὐκ ἂν εἰς τὸ ἀγαθὸν μετασκευασθῆναι προσεύξοιτο. διά τοι τοῦτο γινώσκειν ὑμᾶς ἐσπουδάσαμεν, ὅτι καὶ ἡμεῖς καὶ αἱ πανταχοῦ ἐκκλησίαι ἕτερον σύμβολον ἢ μάθημα, ἢ ὅρον πίστεως, ἢ πίστιν. πλὴν τοῦ εἰρημένου ἁγίου συμβόλου τῶν τιή ἁγίων πατέρων, ὅπερ ἐβεβαίωσαν οἱ μνημονευθέντες ρν' ἅγιοι πατέρες, οὔτε ἐσχήκαμεν, οὔτε ἔχομεν, οὔτε ἕξομεν, οὔτε ἔχοντες ἐπιστάμεθα. εἰ δὲ καὶ ἔχοι τὶς, ἀλλότριον αὐτὸν ἡγούμεθα. τοῦτο γὰρ καὶ μόνον, ὡς ἔφαμεν, τὴν ἡμετέραν περισώζειν τεθαῤῥήκαμεν βασιλείαν· καὶ πάντες δὲ οἱ λαοὶ τοῦ σωτηριώδους ἀξιούμενοι φωτίσματος, αὐτὸ καὶ μόνον παραλαμβάνοντες βαπτίζονται. ᾧ καὶ ἐξηκολούθησαν οἱ ἅγιοι πατέρες, οἱ ἐν τῇ ἐφεσίων συνελθόντες οἳ καὶ καθελόντες τὸν ἀσεβῆ νεστόριον, καὶ τοὺς τὰ ἐκείνου μετὰ ταῦτα φρονοῦντας. ὅντινα καὶ ἡμεῖς νεστόριον ἅμα καὶ εὐτυχῇ τἀναντία τοῖς εἰρημένοις φρονοῦντας ἀναθεματίζομεν, δεχόμενοι καὶ τὰ ιβ' κεφάλαια τὰ εἰρημένα παρὰ τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης γενομένου κυρίλλου ἀρχιεπισκόπου τῆς ἀλεξανδρέων ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας. ὁμολογοῦμεν δὲ τὸν μονογενῆ τοῦ θεοῦ υἱὸν καὶ θεὸν τὸν κατὰ ἀλήθειαν ἐνανθρωπήσαντα, τὸν κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν, τὸν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ

virili laboravit : pro certo perſuaſus, ſi corpus Eccleſiæ concordiæ vinculis firmè cohærens impugnaret, ſe ſuperatum iri. Nam quia membra Eccleſiæ non coaleſcebant, factum eſt, ut infinitæ hominum multitudines, quas temporis longinquitas tot annorum curriculis ex hac vita exemerit, partim baptiſmatis lavacro carentes mortem obierint, partim divinæ communionis minimè factæ participes, ex corporis cuſtodia (quod nemo homo vitare poteſt) emigrarint : quin etiam cædes ferè infinitæ, inde factæ, & non terra modò verum etiam aër copioſa ſanguinis effuſione inquinata. Quotusquisque ergo eſt, qui non optarit iſta corrigi, adque ſtatum reduci meliorem? Quo circa dedimus operam, ut vos intelligatis cùm nos, tum omnes ubique Eccleſias non aliud ſymbolum vel doctrinam, vel deciſionem fidei, vel fidem, quam ſanctum ſymbolum, de quo diximus, trecentorum decem & octo epiſcoporum, quod centum quinquaginta patres, quos ſuprà commemoravimus, confirmarunt, aut habuiſſe, aut habere, aut habituros eſſe, aut ſcire alios habere. Quòd ſi quisquam aliud habeat, eum alienum ab Eccleſia exiſtimamus. Nam hoc ſolo noſtrùm Imperium,

B 2 μαρίας

μαρίας τῆς παρθένου. καὶ θεοτόκου ἕνα τυγχάνειν καὶ οὐ δύο. ἑνὸς γὰρ εἶναι φαμὲν, τά τε θαύματα καὶ τὰ πάθη, ἅπερ ἑκουσίως ὑπέμεινε σαρκί. τοὺς γὰρ διαιροῦντας, ἢ συγχέοντας, ἢ φαντασίαν εἰσάγοντας, οὐδὲ ὅλως δεχόμεθα. ἐπείπερ ἡ ἀναμάρτητος κατὰ ἀλήθειαν σάρκωσις ἐκ τῆς θεοτόκου, προσθήκην υἱοῦ οὐ πεποίηκε. μένει γὰρ τριὰς, ἡ τριὰς, καὶ σαρκωθέντος τοῦ ἑνὸς τῆς τριάδος θεοῦ λόγου. εἰδότες οὖν αἱ ἅγιαι τοῦ θεοῦ πανταχοῦ ὀρθόδοξοι ἐκκλησίαι, οὔτε οἱ τούτων προϊστάμενοι θεοφιλέστατοι ἱερεῖς, οὔτε ἡ ἡμετέρα βασιλεία ἑτέρου συμβόλου ἢ ὅρου πίστεως παρὰ τὸ εἰρημένον ἅγιον μάθημα ἠνέσχοντο, ἢ ἀνέχονται. ἡνώσαμεν ἑαυτοὺς μηδὲν ἐνδοιάζοντες. ταῦτα δὲ γεγράφαμεν οὐ καινίζοντες πίστιν, ἀλλ' ὑμᾶς πληροφοροῦντες. πάντα δὲ τὸν ἕτερόν τι φρονήσαντα, ἢ φρονοῦντα, ἢ νῦν, ἢ πώποτε, ἢ ἐν χαλκηδόνι, ἢ οἵᾳ δήποτε συνόδῳ, ἀναθεματίζομεν, ἐξαιρέτως δὲ τοὺς εἰρημένους νεστόριον, καὶ εὐτύχιον, καὶ τοὺς τὰ αὐτῶν φρονοῦντας. συνάφθητε τοίνυν τῇ πνευματικῇ μητρὶ τῇ ἐκκλησίᾳ, τῆς αὐτῆς ἡμῖν ἐν αὐτῇ θείας ἀπολαύοντες κοινωνίας, κατὰ τὸν εἰρημένον ἕνα καὶ μόνον ὅρον τῆς πίστεως τῶν τῶν ἁγίων πατέρων. ἡ γὰρ παναγία μήτηρ ὑμῶν ἡ ἐκκλησία καὶ γνησίους ὑμᾶς ἥκους ἀπεκδέχεται περιπτύξασθαι, καὶ τῆς χρονίας καὶ γλυκείας ὑμῶν ἐπιθυμεῖ φωνῆς ἀκροά-

uti docuimus, conſervari confidimus, idemq; ipſum populi amplexati, ſalutari Spiritus ſancti illuſtrantur lumine, ſacróque Baptiſmatis lavacro tinguntur: eidem quoque aſſenſi ſunt ſancti patres in concilio Epheſino congregati, qui impium Neſtorium & ejus erroris fautores miniſterio Eccleſiaſtico abdicarunt. Cui etiam unà cum Eutiche (uterq; enim fidei decretis, quæ diximus, repugnat) anathema denunciamus, approbamusque ea quæ duodecim capita dicuntur Cyrilli piæ memoriæ ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ Alexandrinæ archiepiſcopi. Nam confitemur, unigenitum DEI filium Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, verè incarnatum eſſe, conſubſtantialem patri ſecundum divinitatem: ſecundum humanitatem nobis conſubſtantialem, deſcendiſſe de cœlo: carnem ſuſcepiſſe à ſpiritu Sancto & Maria virgine, Deipara: unum eſſe, non duo. Vnius enim eſſe dicimus & miracula quæ edidit, & paſſiones quas in carne ſuſtinuit. Eos autem qui eum dividunt, aut naturas ejus confundunt, aut carnem ſuſcepiſſe imaginariam introducunt, omnino rejicimus. Quippe incarnatio ſine labe peccati ex Deipara revera facta, acceſſionem alterius filii non effecit. Nam ma-

σασθε.

σασθε. ἐπείξατε οὖν ἑαυτοὺς. ταῦτα γὰρ ποιοῦντες, καὶ τὴν τοῦ δεσπότου καὶ σωτῆρος καὶ θεοῦ ὑμῶν ἰησοῦ χριστοῦ εὐμένειαν πρὸς ἑαυτοὺς ἐφελκύσεσθε, καὶ παρὰ τῆς ἡμετέρας βασιλείας ἐπαινεθήσεσθε.

net trinitas, etiam cũ una trinitatis perſona, nempe Deus ſermo, incarnata ſit. Quare cum exploratum habeamus, cùm omnes ſanctas ubique & orthodoxas Eccleſias, tum earum præſides Deo chariſſimos, tum noſtrum Imperium nullum aliud ſymbolum, aliamve fidei deciſionem præter ſymbolum, de quo ſumus modò locuti, vel admiſiſſe vel admittere velle, abſque ulla hæſitatione nos ad concordiam reducamus. Iſta quidem certè vobis ſcripſimus, non ut novaremus fidem, ſed ut vobis de fide penitùs perſuaderemus. Cuique autem, qui aliud quiddam vel ſenſerit vel ſentiat, ſeu jam, ſeu alias, ſeu in concilio Chalcedonenſi, ſeu in alio quovis concilio, anathema indicimus: maximè verò omnium Neſtorio, Eutychi, & illorum doctrinæ fautoribus. Quo circa vos ſpirituali matri Eccleſiæ adjungite, atque ſecundum unam ſolamq; fidei deciſionem trecentorum decem & octo ſanctorum patrum nobiſcum una divina in ea communione fruimini. Nam ſacroſancta veſtra mater Eccleſia, tum vos ingenuos ſuos filios amplecti cupit, tum veſtram diu optatam, dulcemq; vocem audire deſiderat. Properè igitur vos ad eum recipite. Nam ſi hoc præſtiteritis, non modò Domini ſervatoris & DEI noſtri IESV Chriſti benevolentiam vobis conciliabitis, verumetiam à noſtra celſitudine magnam laudem conſequemini.

§. IV.

Nomen hujus Epiſtolæ quam Zeno ſcripſit ut uniret Orthodoxos cum Eutychian. & ſic unionem inter hoſce conciliaret, à fine ſuo eſt deductum; nempe ab Ἑνόω, *Vnio, Aduno,* ſive *Coaduno*, quod deſcendit ab εἷς, ἑνὸς, *Vnus; Vnde*, ἑνωτικὸν, quod *Petrus Langus, Ferdin. Rom. Reg. Conſiliarius, in translatione Nicephori Lib. XVI. cap.* 11. *pag.* 834. vertit, *Vnionis Conciliatorium. Iohan. Chriſtoff. Anglus, Ciſceſtrienſis* quondam *Epiſcopus,* in verſione *Evagrii, Lib. III. c.* 12. *p.* 999. *Epiſtolam de concordia,* & *Spondanus in Annal.* 482. *n.* 3. *Vnitivum* appellare voluit. *Nos* cum *Scapula* in Lex. p. 462. a. vocabulum hoc, quod à concordia inſtituenda, ſec. *Zonar. Annal. Tom. III. f.* 120 a: 1. ſic dictum vertimus: *Adjunctivum, quaſi vim uniendi ſive aduniendi habens.*

bens. Intelligi autem h. l. *Unionem moralem & quidem Eccleſiaſticam*, mutuam ſcilicet ſpiritualem concordiam, clarum eſt ac perſpicuum.

§. V.

Author, qui litteras modo recenſitas in §.3. exaravit, & iis præfigitur, eſt *Zeno* ; Imperio ſive regno admotus ſec. *Spondan.* A. C. 474. corpore & animo turpis, vir incompoſitus & diſſolutus, facie hirſuta, pedibus piloſis & ſtatura inconcinna, quem nemo unquam regno idoneum judicavit ob animum minime regium, & formam Imperio indignam, facie enim erat odioſiſſima & animo longe deteriore. Hic moriente filiolo Leone 17 menſium, ut Imperatoris gener, cui Ariadne, Leonis filia, ob virtutem militarem, & quod Inſidiatores è medio tuliſſet, deſponſata; diadema ſuſcepit. conf. *Evag. II. c. 15. p. 981. & c. 17. p. 982. ac Lib. III. c. 1. p. 993. Zon. T. III. f.* 119. a. & b. *Niceph. L. XV. c. 27. p.* 812. *& L. XVI. c. 1. p.* 827. Parentibus obſcuriſſimis in Cilicia natus erat, & ab incunabilis Aricmeſius vocatus, poſt nuptias autem cum Imperatoris filia, Zenonis nomen, à quodam viro ab Iſauris oriundo, ſic quod ad magnum decus & ſplendorem perveniſſet, appellato; obtinuit. conf. *Evag. L. II. c. 14. p.* 981. *& Niceph. L. XV. c. 27. pag.* 812. Zeno autem ut ſervus natus, ſic & ut mancipium voluptatum ſe præſtitit; adeo voluptatibus immerſus, ut iis in tenebris & remotis arbitris indulgere, eſſe vulgare exiſtimaret, palàm autem, regale quiddam & ſolius Imperatoris. Cum tamen non ex eo Imperator cognoſcatur, quod aliis imperare ſoleat, ſed quod ſibi ipſi imperet, ac nullum vitium ſinat irrepere, adeòque invictum ſe ab intemperantia & quovis immoderato affectu præſtet: Ut viva effigies virtutum ſit, ad cujus imitationẽ ſubditi edocti, ad ipſius exemplũ ſeſe componant. Quoad religionem Zeno arundini erat ſimilis, mox ad hanc mox ad illam inclinans partem, favebat hæreticis, & varia ſcandala in Eccleſiam DEI introducebat. Plerumque Chalcedone neglectis Imperii curis commorabatur, cum interim Sebaſtianus Aulicus, cui omnia venalia erant, proterve regeret. Quare cũ Zeno animi abjectioris eſſet, & nullam Reip. curam gereret, Berina ſocrus, vel ut alii volunt Bernia, fratrem *Baſiliſcum*, Senatoribus conſentientibus, Auguſtum creavit. Zeno illico ſpe abje-

abjecta, & non quod virum & Imperatorem deceret, ſed illiberale & ſummiſſum quiddam cogitans, Verinæque dolum ſuſpectum habens, una cum uxore & alio, in quo quicquam erga Principem reſidebat benevolentiæ, in Iſauriæ latebras ſe abdidit. conf. *Evag. L. III. c. 3. pag.* 994. *Zonar. T. III. f.* 119. b. *Niceph. L. XVI. c. 2. p.* 828. & *Spondan An.* 476. *n.* 4. Ex quibus poſt, innuente Senatu, prodiens, Baſiliſcum, qui jam ob Orthodoxorum perſecutionem & urbis incendium cunctis inviſus erat, defectione Armati militiæ ejus magiſtri, vicit; & dehinc Conſtantinopolim profectus à Senatu Populoq; recipitur. conf. *Evag. L. III. c.* 8. *p.* 997. *Niceph. L. XVI. c.* 8. *p.* 832. *Zonar. T. III. f.* 19. b. m. *Spond. An.* 477. *n.* 1. Per hujusmodi vexationem Zeno nonnihil ſecundum externam formam ad meliorem redactus frugem, memor prædictionis Danielis Stylitæ vel promiſſionis Theclæ martyris, gratias egit DEO: *Evag. L. III. c.* 8. *p.* 997. & *Spond. An.* 477. *n.* 2. Deinde quoq; cum nondũ ex toto diſſenſio inter Orthodoxos & Eutychianos ſopita eſſet, auſus eſt de fide ſancire decretum ſive Henoticum ſuum. Tandem adverſis rebus nil emendatior, in corruptiſſimam rurſus vitam ſuam degeneravit, & poſtquam an. XVII. & 5. menſes imperaſſet, digno impia vita fine, exſtinctus eſt: Quippe morbo comitiali, quo crebro laborabat, arreptus *Evag. III. c.* 29. *p.* 1007. vel ſopitus nimia crapula & ebrietate *Zon. An. T. III. f.* 120. a. vivus, quod tradunt, ſepultus eſt. Cum autem è ſepulchro, ut quidam narrant, lamentabiliter implorare auditus eſſet domeſticos & ſatellites, ut inde educeretur, non ad imperium, ſed ad monaſterium; prohibente Ariadne Uxore, cui inviſus eſſe cœperat, ne qui monumentum aperiret, miſere periit, ſuis ipſius lacertis & caligis, quas geſtabat, comeſtis: ut poſt compertum eſſe momento recluſo narrat *Cedrenus*: *Zonar. Tom. III. fol.* 120. a. *Niceph. XVI. cap.* 23 *p.* 842. & *Spond. An.* 491. *num.* 1.

§. VI.

Illi, qui Zenonem ad hoc Henoticum ſcribendum & proferendum impulere, fuerunt *Acacius*, Conſtantinop. Epiſcopus, & *Petrus Mongus*; teſte *Spondano An* 482. *n.* 3. item *Zonar. T. III. f.* 120. *a.* 1. qui dicit, *Acacium ex animi ſui ſententia hanc Epiſtolam condidiſſe*. Homines erant ſatis jejunè de religione ſentien-

tes,

tes, & Eutychianos hac ratione faciliſſimo negotio poſſe cum catholicis conciliari, exiſtimantes. Erat autem Acacius ex præfecto Collegii Organorum, Epiſcopus Conſtantiop. creatus *Niceph. XV. c.* 16. 801. *& c.* 23. 808. & *Lib. XVI. c. pag.* 828. & *Spondan. An.* 471. *n.* 1. *Evag. L. II. c.* 11.. *pag.* 980. qui viriliter initio contra Baſiliſcum Eutychian. agens, Encyclicis ejus nolebat ſubſcribere : *Evag. L.* 3. *c.* 7. 997. *p. Niceph. XVI. c.* 6. *p.* 831. & *Spond. An.* 476. *num.* tandem autem omni verecundia depoſita, hypocritam ſe oſtendit, inſidioſe agens adverſus Epiſcopum Antioch. & Alexand. vid. *Spondan. An.* 482. *n.* 1. 2. Imò, apertè demum cum Zenone favebat Hæreticis, ejus Henoticum in Eutychianorum gratiam componens : Sæpe etiam admonitus, ut Heterodoxorum communionem vitaret, non obediens excommunicatur, & brevi poſt communem omnibus ingreſſus eſt viam. conf. *Evag. L. III. c.* 21. *p.* 1004. *&* 23. *c. p.* 1004. *Nicephor. Lib. XVI. c.* 16. *&* 17. *p.* 838. 839. *Spond. An.* 484. *num.* 2. Petrus Mongus verò, quem *Evag. L. III.* 17. *p.* 1002. vocat, hominem fraudulentum, verſutum & tempori inſervientem : *Niceph. L. XVI.* 11. *p.* 833. Impietate deterrimum, *Zonar. T. III. f.* 120. *a.* 1. Maleficum & veritatis hoſtem; ab Eutychianis intruſus eſt in ſedem Alexand. Epiſcopatus, ſed mox Imperatoris Zenonis juſſu rejectus. conf. *Evag. III. c.* 11. *p.* 998. *Niceph. XVI. c.* 11. *p.* 833. & *Spondan. An.* 477. *num.* 3. tandem Zenone promulgante Henoticum, reſtitutus eſt, conf. *Evag. L. III. c.* 12 *p.* 999. *Niceph. L. XVI. c.* 11. *p.* 834. *Spond. An.* 482. *n.* 3. Fraude ita in negotio peragendo, Eccleſiæ rurſum inductus, veluti cothurnus homo verſipellis fuit, nec ſibi ipſi conſtitit, ſed prout ipſi viſum, tempori ſe ſemper accommodavit. Tandem Eccleſiam fraudulentis perturbans artibus, cum Chalcedonenſem Synodum anathematis ſententiâ damnaſſet, & Timothei cadaver effodiſſet, damnatus eſt à Felice Papa, & mortuus anno 13. poſt obitum Timothei Alexand. Epiſcop. *Spondan. An.* 483. *num.* 3. *An.* 484. *num.* 4. *& An.* 490. *num.* 2. *Zon. T. III. fol.* 120. *a.* 1. *Evag. Lib. III. c.* 20. *&* 21. *pag.* 1003. *&* 1004. *Niceph. XVI. cap.* 13. *&* 16. *pag.* 836. *&* 838.

§. VII.

Facit etiam ad explicationem noſtri thematis multum, ſi

temporis

temporis rationem habemus, cum præſentis, tum præteriti, quod certè jam per aliquod tempus ita fuit turbulentum & periculoſum, ut dies hi merito appellari poſſent, ſec. *Eph.* V. v. 16. ἡμέραι πονηραὶ: Foris enim bellum & intus diſcordia omnia vaſtabat, tam in Imperio quàm in Eccleſia, ita ut niſi infima ſummis miſcenda, neceſſario ad malum ſiſtendum, adhibenda fuerint remedia. Hoc ſi fecerimus, non tantum ſtatum, cum Eccleſiæ, tum Politiæ exacte cognoſcemus, ſed etiam motiva & intentionem Zenonis, Henotici Authoris, inveniemus.

§. VIII.

Miſerabilem fuiſſe Politicum ſtatum, nemo non videt, niſi totus rerum tum temporis geſtarum ignarus; Diſcordias enim inteſtinas ex omni loco excitabant Anti-Cæſares, Imperium magno ſubditorum damno affectantes. Inter hos primum tenet locum, *Baſiliſcus* Tyrannus, frater Verinæ Auguſtæ, ipſius Zenonis ſocer & Conſul, vir non Zenone melior, ſed deterior, qui ſocordia, ignavia, deſperata nequitia, & voluptate Zenonis, nec non conſilio ſororis, contra Zenonem arma movere parabat. Zeno animo demiſſo fugam capeſſit, auguſto Imperii honore, ſine ullo negotio, Baſiliſco relicto. Quos deinde hic Baſiliſcus motus excitarit, cum Encyclicas ſuas literas ſcriberet, & quomodo Conſulum odio Imperio dejectus, cum ſuis fame perierit, vel ut alii volunt, occiſus ſit: vid. *Evag. Lib. III. c.* 2. *uſque ad* 8. *pag.* 994. 997. *Niceph. L. XVI. c.* 2. *ad* 9. *pag.* 828. 833. *Zonar. T. III. p.* 119. b. 2. *ac Spondan. An.* 476. *num.* 4. 7. *& An.* 477. *num.* 1. Poſt hunc adverſus Zenonem bellum movit *Martianus*, filius Anthemii, qui non multo ante Romæ imperaverat, & Leontiam, Leonis Roman. Imperat. Zenonis ſoceri filiam, in matrimonium habebat. Is magis ad ſe, quam ad Zenonem, Imperium pertinere putabat, quod minorem natu Leonis filiam, quam illi Verina Imperii tempore genuerat, conjugem haberet: Ariadnen autem Leo adhuc privatus ex ſua uxore tuliſſet. Eam ob cauſam Martianus ad Tyrannidem ſpectavit, & pugna ad Imperiale Palatium commiſſa, cædes utrinque facta eſt ingens, ſed victoria Martiani fuit; Ille quoque ſceptro potitus eſſet, & Palatium occupaſſet, niſi rem in craſtinum diſtuliſſet; Sed tempus opportunum negli-

gens, nanciſci id deinde haudquaquam potuit: Poſtridie enim diei ejus, Martianus à ſuis deſertus, ad S. Apoſtolorum templum ſupplex ſolus confugit; unde per vim extractus, Cæſaream Cappadociæ miſſus, & paulo poſt inter monachos quosdam latitare, & fugam meditari deprehenſus, Tarſum inde Ciliciæ abductus eſt, ubi, capite raſo, Presbyteri dignitate eſt cohoneſtatus. *Niceph. XVI. c. 22. pag.* 841. *Evag. L. III. cap. 26. pag.* 105. *Spondan. An.* 484. *num.* 1. *Ilus* tandem cum Leontio, (quem Tarſi Ciliciæ Imperatorem creaverat,) Marſo viro ſpectato, & Pamprepe injuſtam perſecutionem à Zenone perpeſſus, exercitum contra illum collegit, & Tyrannidem apud Tarſum in Cilicia arripiens, infelici pugnavit Marte; Theodoricus enim Gothus, cum ingentibus provincialibus & externis copiis, adverſus eos à Zenone miſſus, miſerè eos trucidavit; condignam ab Imperatore, quod eum in Imperium reſtituiſſent, gratiam ferentes: conf. *Niceph. XVI. c. 22. p.* 842. *Evag. L. III. c. 27. p.* 1006. *Spond. An.* 484. *n.* 1.

§. IX.

Cum ita Orientalis Imperii Magnates internis diſcordiis & ſeditionibus ſe ipſos deſtruerent, *Barbari* hanc occaſionem arripientes, variis irruptionibus regiones devaſtarunt. Genſerichus enim Wandalorum Rex, non tantum Leonis tempore, dictionem Romani Imperii pluribus afflixit incurſionibus, urbium mænia diruit, & quidquid pecuniæ & agri Occidentales Lybiæ habuere, id illis ademptum popularibus ſuis dedit. conf. *Evag. II.* 14. *pag.* 981. & *Niceph. XV. cap.* 27. *pag.* 811. *Spondan. An.* 456. *n.* 4. Sed etiam deinde Zenone imperante, *Barbari*, qui Scenitæ vocantur, loca omnia populati ſunt. Tunc multitudo Hunnorum, qui olim vocabantur Maſſagetæ, in Thraciam incurſionem fecere, Zenonem, reliquis Imperii partibus per vim, barbaro quodam more & modo, ſpoliantes. conf. *Evag. III. c.* 2. *pag.* 994. *Niceph. XVI. c.* 1. *pag.* 827. Bellum quoque Schyticum excanduit *Evag. L. II.* 14. *p* 981. & Theodorichus Gothus bellum adverſus Zenonem geſſit, agris omnibus, qui ante pedes jacebant, uſq; ad Oſtium Ponti, vaſtatis. Parũ aberat, quin Conſtantinapolin ipſam cepiſſet, niſi ſuorum malevolentia motus, & eorum inſidias metuens pedem retuliſſet:

conf.

conf. *Evag. L.III. c.25.* 1005. *& Niceph.XVI. c.21.p.*840. *Spondan. An.* 487. *num.* 2.

§. X.

Porro, funeſtiſſima illa, quæ Politicum ſtatum dedere peſſum, fata majori intelliges eſſe luctu digna, ſi religionis hujus temporis damna perpenderimus: Cum univerſus Chriſtianorum orbis ſub Hæreticorum Principum dominio conſtitutus, nullum penitus Catholicum Regem, alicui ſaltem exiguæ Provinciæ dominantem, habuerit. Italiæ etenim Rex Odoacer dominium occupavit. Gallias itidem, Principes Burgundiones & Gothi, iidem Ariani, & Franci adhuc gentiles partiti ſunt. Hiſpaniæ partes Gothos, Arianos, Dominos patiebantur; Africa Wandalos æquè Arianos, & univerſum Imperium Orientale Zenonem Eutychianum Hæreticum *Spondan. An.* 476. 12. Quis non, quæſo, deplorabilem hunc Eccleſiæ ſtatum deploraret, imò ferè deſperaret, Eccleſiam tot concuſſionibus graviſſimis agitatam, ad proximum vacillare caſum proſpiciens? at, tamen perſtitit. Nam Chriſti Salvatoris noſtri verba: *Matth.XVI.v.*18. *ϰ πύλαι ἅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*: in æternum manebunt vera.

§. XI.

Fons fermè omnium horum malorum fuit *Eutyches*, Presbyter ac monachorum illorum Conſtantinopoli Archimandrita, qui tempore Epheſini Concilii, adverſus Neſtorianos cæteris præſtantius dimicarunt. Hic vir plenus inanitatis & imprudens ſenex, vel ſcripturæ ignorantia vel Neſtorii odio, A. C. ſecundum *Spondanum* 448. hunc in pernicioſum delapſus eſt errorem, ut aſſerere conaretur; Chriſtum ex duabus quidem ante conjunctionem conſtitiſſe naturis, poſtea vero ex una tantùm: Carnem nec matri nec nobis conſubſtantialem habuiſſe, ſed de cœlo aſſumpſiſſe: Ambabus naturis in unam contemperatis & permixtis, divinitatem Chriſti cruci affixam & ſepulchro mandatam reſurrexiſſe. Adſcribere lubet ea, quæ *Niceph. L.XVIII. c.* 48.*p.*946. habet, *Fictam carnem*, inquit, *Chriſti fuiſſe, Eutyches opinatus eſt, & quæ præterea ille alia perperam docuit, ipſum namque Deum verbum dixit immutabili modo mutatum, & carnem factum, in ſpeciem finxiſſe atque aſſimulaſſe ſalutis noſtræ œconomiam & adminiſtrationem. Itaque corpora-*

lia omnia Dei in ſpeciem , phantaſia quadam ſimulata atque fiɛta ei affuiſſe, aſſeruit. Et hoc ipſum quod natura illa divina, qua circumſcribi & comprehendi nequit, cruci affixa ſit, in ſpeciem per phantaſiam geſtum eſſe, ſtatuit. conf. *Zonar. Tom.III.* 117. *f.* a. b. *Evag. L. I. c. 9. pag.* 958. *Spondan. An.* 448. *num.* 2. *Niceph. L. XIV. c.* 47. *p.* 766. & *Lib. XV. c.* 30. *pag.* 815. & *Lib. XVI. c.* 23. *pag* 850. & *L.* VIII. *c.* 52. *pag.* 950. Eutyches ſic Charybdin vitans, at in Scyllam incidens, cum ſæpius amicè ab Euſebio Epiſcopo Doryl. admonitus, nil mutaretur, ſed hæreſes ſuas pertinaciter defenderet, res delata eſt ad Concilium Epiſcoporum, qui tunc Conſtantinopoli congregati erant, ob cauſam Florentii Epiſcopi Sardinenſis, Metropol. Lydiæ, adverſus quosdam Epiſcopos ſub eo conſtitutos. *Flavianus* itaque, hujus Concilii Præſes; ter Eutychen citavit: qui contumax comparere recuſavit, eo prætextu, quod inviolabilem ſibi præfixiſſet legem, non egredi è monaſterio ſuo. Coactus tandem comparuit, & ſuam opinionem pertinaciter defendens, Presbyteratu ac monaſterii adminiſtratione privatus eſt, cum Flavianus ipſum ab Eccleſiæ corpore reſecaret, ne peſte illa ſana etiam membra inficerentur. conf. *Evag. L.I. c.* 9. *pag.* 958. *Niceph. XIV. c.* 47. *p.* 766. 767. *Zonar. Tom.III. f.* 117. b. & *Spondan. Ann.* 448. *num.* 3. 4. His rebus ita geſtis, Eutyches Chryſaphium Eunuchum Imperatorii cubiculi adit, ſuæ ſententiæ ſuffragatorem: Qui, cum apud Imperatorem plurimum poſſet, impetrat, ut Dioſcoro, qui poſt Cyrilli obitum Alexandriæ Eccleſiam gubernabat, cum aliis Epiſcopis Epheſum vocato, ſceleratum illud Eutychis dogma, præſente etiam Flaviano committeretur: Is igitur *Dioſcorus*, qui juris & æqui normam pro nihilo putabat, & DEI timorem contemnens eundem cum Eutyche tenebat errorem; adductis aliis etiam ejusdem opinionis Epiſcopis, Epheſum profectus Eutychiano dogmati ſuffragabatur. Reſiſtebat ac adverſabatur impio huic Concilio Flavianus, in quem Dioſcorus inſiliens inſtar indomiti aſini, calcibus cordati illius viri pectus impetiit, & pugnis maxillas ejus ferire non prius deſtitit, quàm Concilio expuliſſet, ex qua concuſſione tertio die obiit, cum novæ Romæ thronum per biennium ornaſſet. Dioſcorus omnes Epiſcopos qui in hoc veſano latrocinio & prædatorio aderant

rant Concilio, ſubſcribere ſententiæ ſuæ coëgit: nam Eunuchus ille milites armatos adeſſe juſſerat, ut adverſantes perterrefaceret: Eutyches ſic in integrum reſtitutus, & antea abdicatione facta, Satanico hoc prorſus conventu liberatus eſt. conf. *Evag. Lib. I. c.* 10. *pag.* 958. & *L. II. c.* 2. & 4. *pag.* 968. 971. *Nicephor. L. XIV. c.* 47. *p.* 766. & *c.* 49. *p.* 769. *Zonar. An. T. III. f.* 117. b. m. *Spond. An.* 449. *n.* 3. 4. 11. & 13. Hac felicitate Eutyches cum ſuis non diu fruebatur, ille enim paulo poſt infeliciter periit, Dioſcorus autem cum cæteris Epiſcopis mox ſedibus ſuis ejectus eſt. Nam cum iniquiſſimè & ſceleratè hæc geſta ad Pont. Rom. delata eſſent, ac Imperator videret ſe ab Eunucho deceptum, Concil. Chalcedonenſe juſſu Martiani coactum eſt, in quo Eutychiana hæreſis damnata, & Dioſcorus cum ſuis dignitate, in qua vivebat, ſpoliatus eſt. conf. *Evag. Lib. II. c.* 2. *p.* 968. & *c.* 4. *p.* 870. 974. & *c.* 18. *pag.* 982. 983. *Nicephor. Lib. XIV. c.* 49. *p.* 769. & *Lib. XV. c.* 4. *p.* 791. & *c.* 30. *p.* 814. 824. *Zonar. T. III. f.* 118. b. & 119. *Spond. An.* 451. *n.* 34.

§. XII.

Concilio hoc malum non ſopitum, ſed potius exaſperatum eſt. Nam Dioſcoro licet cum ſuis damnato, Eutychiana tamen hæreſis, cum eam non ſolum monachi in Ægypto & Palæſtina mordicus propugnarent, ſed & Eudocia Theodoſii vidua ei patrocinaretur, minimè deleta eſt. Eutychis enim & Dioſcori ſectatores, decreta quoque Concilii ſubſannantes, ejus authoritatem non veritate, ſed Imperatoris potentia niti dicebant, & ſuæ ſententiæ pravitatem ſtabilire conabantur: conf. *Spond. An.* 455. *num.* 5. & *Zonar. T. III. f.* 118. a. Hiſce ſimiles erant monachi, qui ſolitudinem in confiniis Hieroſolymorum ſitis incolentes, minimè pacato & tranquillo erant animo; conquerebantur enim de fide prodita & ſuo inhærebant errori. conf. *Evag. L. II c.* 5. *p.* 974. Sic itaq; Eutychiani non reſipuere, etſi ſpecioſius & cautius locuti ſint; Exemplum nobis eſto Petri Mongi Epiſtola, quæ habetur apud *Evag. Lib. III. c.* 17. *pag.* 1005. in qua ſcribit, cum in fide hoc in concilio nil novatum inveniret, ſe velle ipſi conſentire: conf. *Spondan. An.* 451. *num.* 18. 19. Leo etiam Imperator, cum per literas interrogaſſet, omnes ferme ſe Chalcedonenſem approbare Synodum affirmabant, quæ

a. cordis ſinceritate, eventus docuit. *Evagr. Lib. II. c.* 10. *p.*929. *Niceph. XV. cap.* 16. *p.* 801. *Zonar. Tom. III. fol.* 119. a. & *Spondan. An.* 457. *num.* 5.

§. XIII.

Tumultus hinc maximi in rebus publicis excitati. Alexandriæ enim, ob Dioſcorum ab Epiſcopatu remotum, & Proterium communibus Concilii ſuffragiis ſurrogatum, maximus tumultus & plane intolerabilis ab indomita & furente plebe excitatus eſt. Nam uti in ejusmodi rebus evenire ſolet, alii fortiter & firmè adhæreſcere cœperunt Proterii partibus: Aliis Dioſcorus Eccleſiaſticæ Provinciæ adminiſtrandæ magis idoneus videbatur; Et hæc quidem res adeo in magnum proceſſit diſcrimen, ut clades ingens eaque ferè inſanabilis inde naſceretur: De qua *Priſcus Rhetor* ſcribit, Præfectum Thebaidis eadem tempeſtate veniſſe Alexandriam, & vidiſſe populum uno conſenſu contra Magiſtratus impetum feciſſe, jeciſſe lapides in militum copias, qui ſeditionem comprimere ſtudebant, ipſas quoque coëgiſſe, ad templum, quod olim Serapidis dicebatur, confugere; tum eò populum concurriſſe, templum expugnaſſe, & milites vivos concremaſſe incendio: conf. *Evagr. L. II. c.* 5. *p.* 974. *Niceph. XV. c.* 8. *p.* 793. *Spond. An.* 452. *num.* 4. Deinde paulo poſt, cum Alexandrini de morte Martiani certi eſſent, iracundiam cum majore furore & æſtu contra Proterium renovarunt. Populus ad iram facile accendi, leviq́ue accepta occaſione ad tumultus ciendos inflammari ſolet; idque Alexandrinus imprimis, qui frequenti ſua multitudine, eaque obſcura & abjecta, maximè ſe efferens, temeraria audacia, magnos ſumpſit ſæpe ſpiritus. Alexandrini ergo, tempore, quo Præſidiorum Præfectus Dionyſius in ſuperiore Ægypto commorabatur, diligenter obſervato, ex improviſo omnem, quem per ſeptem ferme annorum ſpatium in ſtomacho continuerant bilem, removuere. *Timotheum* cognomentum *Ælurum*, olim ex Monacho creatum Presbyterum, hominem ſceleſtiſſimum (qui magicis impoſturis utens, cellulas monachorum noctu obivit, nominatim quemque vocans, cum reſponderet, ita dixit: Ego ſum Angelus in hoc miſſus, ut omnes jubeam abſtinere Proterii ſocietate, & Chalcedonenſium rerum,

Timo-

Timotheo autem Æluro Epiſcopatum tradere Alexandrinum) ad Epiſcopatus gradum capeſſendum ſuffragiis deligunt, & Epiſcopalem in thronum detrudunt; Poſt paucos a. dies Proterium intra ipſam Eccleſiam, imo in ipſo Baptiſterio, ipſoque die Cænæ Domini, occiderunt; corpus ejus, per univerſam civitatem crudeliter tractum, diviſerunt membratim, ac more canum interiora ejus deguſtarunt, reliquum deinde corpus igni, cineres vento autem tradiderunt. conf. *Evag. L.* II. *c.* 8.*p.* 976. *Niceph. Lib. XV. c.* 16 *p.* 800. *Zonar. ex Cedr. An. T.* III. *fol.* 119. a. *Spond. An.* 457. *num.*4. Nec in Palæſtina tranquillitas fuit, ſed hanc etiam maximi tumultus invaſere, à Pſeudo monachis Eutychianis ob Concilium Chalcedonenſe concitati: Cùm enim impudenter nimis aſſererent, hoc ipſum Concilium fuiſſe Neſtorianum, in ſuam ipſorum ſententiam quamplurimos, tum ſeculares cum monachos ſeduxêre, adeò, ut expulſo, qui adverſaretur, & eos in contrariam ſententiam retrahere niteretur, Juvenali Hieroſolym. Epiſcopo, Theodoſium quendam pſeudomonachum, hominem perditiſſimum, ejus in locum ſubſtituerint. Hic Theodoſius deinde, captâ in ſuam hæreſin Eudocia, Auguſta Imperat. Theodoſ. relictâ, ejusdem ope, omnia prædonis more agens, totam illam Provinciam miſere devaſtavit, eos omnes cædibus, tormentis, & exilio perſequens, quicunque Synodo Chalcedonenſi adhærerent. Eccleſiis ſuis miniſtros orthodoxos ejecit, & ſuæ farinæ homines eorum loco deſignavit. vid. *Evagr. Lib.* II. *c.* 5. *pag.* 975. *Niceph. XV.c.*9. *p.*794. *Spondan. An.* 452. *num.* 6. Ut hiſce in locis, Dæmonis ac hæreticorum motibus, mala hæc maxima profecta erant, ita & Antiochia non ab illis libera fuit. Petrus enim Cnapheus olim monachus Akœmeta, & ob hæreſin Eutychianam ex monaſterio expulſus, cum Zenone hunc in locum veniens, ſtatim ſe hæreticis, quos illic reperiebat, adjunxit, plurimos de Clero ac Populo ſeducens. Zenonis deinde fultus favore, Martyrium, ejusdem civitatis Epiſcopum, orthodoxa fide præſtantem, Neſtorianiſmi accuſationibus ita exagitavit, ut ipſum tandem maximos timentem tumultus coëgerit Epiſcopatui renuntiare. Martianus verbis hiſce in renunciatione uſus eſt; *Clero immorigero, & populo rebelli & Eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata* *inte-*

interim mihi ſacerdotii dignitate, hoc ubi dixit, ſeceſſit; Cnapheus contra in Antiochenum thronum inſiliit, ac Chalcedonenſe Concilium plurimum proſcidit. Leo Imperator, cognitis hiſce, Cnapheum in exilium ablegari juſſit, ſed is fuga elapſus pœnam evaſit. conf. *Niceph. XV.* 18. *pag.* 813. *Spond. An.* 471. *num.* 5. Stephanus Cnapheo ſubſtitutus eſt; ſed nec tunc Eccleſia quiete nacta, rurſum Eutychianorum opera, novis cœpta eſt turbinibus agitari. Stephanus etenim, quum S. Synaxin ſolenniter celebraret, Eutychiani conferto agmine templum exertis gladiis ingreſſi, ſacerdotes ſæviſſimè trucidarunt, & ipſum Antiſtitem, calamis ad ſimilitudinem haſtarum præacutis, confecerunt, corpusque ejus in Orontem amnem projecerunt. conf. *Evag. L.* III *c.*10. *p.* 998. *Niceph. XV. c.* 18. *p.* 813. *Spond. An.* 479. *n.* 1.

§. XIV.

Tumultibus ita rempublicam deſtruentibus, diſcordia in Eccleſia maximé vigebat. Nec à veritate aliquid alienum dicere putamus, ſi aſſeramus, nulla exiſtente in Eccleſia diſcordia, hos nec tumultus futorus fuiſſe: ita enim *Evag. L.II. c.* 5. *pag.* 874. cum tumultum Alexandrinum deſcripſiſſet, concludit: *Poſtea vero, quam Iuvenalis eo adventavit, multa & acerba mala qualia animus cuiusque ſuggerere ſolet, ex utraque factione manarunt. Nam Dæmon ex mutatione unius literæ, falſaque ejus interpretatione, perfecit, ut utrovis modo efferretur, ſententiam omnino diverſam introducerent &c.* & tandem addit; *Vnde mala, quæ ſupra poſuimus, emanarunt & profecta ſunt.* conf. *Niceph. L. XVI. c.* 9. *p.* 795. Hoc ipſum quoque Epiſcopi Ægyptiaci in literis ad Imperatorem Leonem oſtendunt, ſcribentes: *Et poſtea Timotheus, qui tum Presbyter fuit, pace populi rectè de fide ſentientis, tùm apud nos tùm apud Alexandrinos diſturbata, ſtatim poſt Concilium Chalcedoni celebratum, cum quatuor aut quinque duntaxat Epiſcopis ac paucis monachis tùm perverſo Apollinarii, tum pernitioſo ejus ipſius Timothei errore pariter cùm eo infectus, ſe ab Eccleſia Catholica & fide ſeparavit ac ſejunxit.* Paulo poſt pergunt; *Idem Timotheus auſus eſt anathema quaſi præfricta fronte Chalcedonenſi concilio annunciare; pertrahere ad ſe populi venalis & ſeditioſi turbam, & contra divinos Canones, ordinem Eccleſiaſticum, rempublicam*

publicam & Leges dimicare : *Evag. L. II. c. 8. p. 977. Niceph. XV. c. 6. p. 802.* Cæterùm *Spondanus An. 452. n. 4.* de hiſce ita generaliter diſſerit. *Conſtat præterea, Alexandrinos & Ægyptios magna ex parte diu occaſione Dioſcori eſſe tumultuatos, ut concilium Chalcedonenſe rejicientes, ſchiſmate fuiſſe ab Eccleſia Catholica omnino diviſos. Id enim teſtatur Ioannes Damaſcenus de hæreſ. L.III. qui ait, eosdem vocatos fuiſſe peculiari nomine Ægyptios, itemque Schematicos & monophyſitas, eorumque Principes exſtitiſſe Theodoſium quendam Alexandrinum, à quo Theodoſiani, & Jacobum Syrum, à quo Jacobitæ appellati.*

§. XV.

Ad hæc mala componenda varia adhibita ſunt remedia; cùm Politica, tùm Eccleſiaſtica; *Politicis* uſi ſunt Cæſares, quando armata manu ſedare hoſce tumultus & diſcordias coacti ſunt; Ita *Martianus*, Alexandriam & Antiochiam milites miſit, qui tumultus componerent, & ſeditioſos ad ſe captivos ducerent. *Evagr. Lib. II. c. 5, pag. 974. Niceph. Lib XV. c. 8. & 9. pag. 794. 795. Vel*, cum litteras & edicta de concordia promulgarent, in quibus humaniſſimè pacem ſuadebant, & ad eam adhortabantur, vel pro authoritate ac majeſtate unionem imperabant. conf. *Spondan. An. 452. n. 5.* & *457. n. 6.* & *458. 3.* ac *476. 5. Evag. L. II. c. 9. p. 978.* & *Niceph. L. XV. c. 16. p. 801.* & *c. 18. p. 893.* & *L. XVI. 3. p. 828. Vel tandem*, quando tumultuoſos, Eccleſia ejectos, in exilium Gangras vel aliò mittebant: alios autem Epiſcopos illorum loco Eccleſiis ſubſtituebant. conf. *Evagr. Lib. II. cap. 11. pag. 980. Niceph. L. XV. c. 8. pag. 793.* & *9. p. 795.* & *c. 28. p. 812. Spondan. An. 452. num. 6.* & *An. 457. num. 7.* & *An. 460. num. 1.* Quid hiſce ſuis mediis Imperatores obtinuerint, ſupra oſtenſum eſt: Non enim vera pax & concordia Eccleſiæ reſtituta, ſed ſeditioſi Hæretici per aliquod tempus latentes, novos deinde & prioribus pejores, commodo ſibi viſo tempore, excitarunt tumultus.

§. XVI.

Politicis hiſce remediis deinde *Eccleſiaſtica* ſunt ſuperaddita: Inter quæ eminebant Concilia, quæ ad diſſentientiũ partes componendas coacta ac habita ſunt. Ita A. C. 459. Leone Imperatore

Romano, Ricimere atque Patricio Conſulibus, Conſtantinopoli præſentibus Romanæ ſedis Legatis, exoptatum diu ab Imperatore celebratum eſt Concilium, non quidem Oecumenicum, ut ipſe prius voluerat, ſed ex proximis tantum Provinciis; convenientibus in unum LXXIII. Epiſcopis; adnitente Gennadio Conſtantinopolitano, fidei Catholicæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ acerrimo vindice, atque obſervantiſſimo cuſtode: Perierunt quidem ejus Synodi acta, ut non niſi Canon unicus adverſus Simoniacos reperiri poſſit: actum vero in ea eſſe de abolenda penitus Eutychiana hæreſi, ac confirmando Chalcedonenſi Concilio, (quarum rerum cauſa præcipuè convocata) quis dubitet? conf. *Spondan. An.* 459. *num.* 1. Circa hoc quoq; tempus *Celeberrimū illud Oecumenicū Concilium Chalcedonenſe* adverſus Eutychen actum, & ejus hæreſi fuerat oppoſitum. Eſt hoc unum ex IV. Conciliis œcumenicis minus controverſis, quorum ſemper in Eccleſia Chriſti magna fuit authoritas, utpote in quibus Heterodoxia male feriatorum, qui extra ultraq; ſcripturam ſapere, ſibi honori ducebant; & in fundamenti ſalutis noſtræ everſione præcipuè occupabantur, feliciter deſtructa; ſanior vero doctrina, ex ſcripturis ſolide aſſerta & confirmata eſt. Chalcedonenſe hoc Concilium anteceſſit A.C. 449. *Concilium alterum Epheſinum*, cui interfuere CXXVIII. Epiſcopi, ubi Dioſcorus præſedit; Synodus hæc deinde λῃστρικὴ ſive prædatoria & profana, imo latronū concurſus dicta eſt, in qua nil, cum perfidus Hæreſiarcha ſuos ſtabiliret errores, niſi per vim & metum, catenasq; & gladios tentatum & extortum fuit. De qua *Evag. Lib.II. c.* 4. *pag.* 971: dicit, *Quod utinam fuiſſet nunquam habita, ne orbem terrarum tantis malis & turbis oppleviſſet.* Prævalebant in hoc Concilio Eutychiani, & ſecundum Eutychen omnia pronuntiata ſunt; multi inde Epiſcopi orthodoxi damnati, exilio mulctabantur; Flavianus calcibus & pugnis adeò à Dioſcoro contuſus eſt, ut paulo poſt moreretur. Tribus ut rem verbis complectar, omnia hic violenter, per milites in concilio præſentes, acta ſunt; cum plurimi Epiſcopi perfidis hujus Synodi actis ſubſcribere fuiſſent coacti. conf. *Evag. L.I. c.* 10. *p.* 958. 959. & *L. II. c.* 4. & 18. *p.* 970. & 982. *Niceph. Lib. XIV. c.* 47. *p.* 767. & *Lib. XV. c.* 30. *pag.* 815. *Zonar. An. T. III. p.* 117.

p. 117. b. & *Spond. An.* 449. *n.* 4. & 6.13. Duo etiam conventus pridem in Eutychis cauſa Conſtantinopoli habiti erant; in quibus nil effectum eſt, cum Eutyches Synodi acta corrupiſſet: conſ. *Evag. Lib. I. cap.* 9. *pag.* 958. *Niceph. Lib.* XIV. *c.* 47. *pag.* 765. & *Spond. An.* 348. *n.* 3. 4. Tandem verò, cum *Theodoſius* Imperator à Chryſaphio, Eutychetis Patrono, videret ſe deceptum, & *Leo* Concilii Epheſini acta Romæ examinaret; invenientes veritatem per vim ſuppreſſam, novum Concilium moliebantur: Theodoſio autem, morte prævento, *Martianus*, ejus ſucceſſor, id præſtitit. Hic enim Imperator magnopere cupiens, ut communis honor ab omnibus DEO T.O.M. tribueretur, & linguæ, quas impietas confuſione aliqua referſerat, jam pie inter ſe concordantes, ſacrum ejus Numen, uno eodemque laudationis genere percelebrarent: De Synodo univerſali, cum Leone Rom. Epiſc. deliberavit, publicam edens ad omnes Epiſcopos ſanctionem, qua eos Nicæam in Bithynia, ad Calendas Septembres convenire voluit. Cum autem inter hæc perturbarent Illyricum Barbari, certus Imperator, tunc facilè hoſtes ſuperari, ſi primo religioni conſultum eſſet, ſuſceptum de Concilio inſtitutum mox implere laboravit: ſed quod haut tutum eſſe videretur, ob bellicas neceſſitates Conſtantinopoli longe recedere; iteratis litteris, Patres revocavit Chalcedonem, propinquam Conſtantipoli ejusdem Bithyniæ civitatem, cui & ipſe commode ſuam præſentiam, ne quid tumultus ab Eutychianis moveretur, exhibere poſſet. Hoc igitur An. nempe 451. Chalcedone convenit ad Synodum Oecumenicam celebrandam ingens Epiſcoporum numerus; DC. enim & XXX. fuiſſe plerique Authores tradunt, quamvis *Nicephorus L.* XV. *c.* 2. *p.* 789. addat VI. ut numerus duplicetur eorum qui Synodo Nicænæ interfuere. Collectum porro fuit hoc Concilium, non intra mœnia civitatis, ſed in ſuburbiis, in ampliſſima Baſilica Euphemiæ, Martyris olim ſub Diocletiano paſſæ: Ita, ut dextera templi parte Romani, Bizantini & Antiocheni; In ſiniſtra, Alexandrini & Hieroſolymitani; medio autem inter hos loco, Principes & Senatores conſiderent. Synodo huic præerat Imperator *Martianus*, non ad oſtendendam potentiam, ſed ad confirmandam fidem, ut inventa veritate diſſidia tollerentur.

rentur. Vicarii Pont. Rom. fuere in hoc Concilio Paſcaſianus & Lucentius Epiſcopi, cum Bonifacio Presbytero, qui deinde ſibi cæteris Epiſcopis adjunctis, ſequentes habuere ſeſſiones.

§. XVII.

In Seßione I. Vicarii Papæ Romani proteſtati ſunt, ne Dioſcorus cum illis in Concilio conſideret, ſed ſeſe reum ſiſteret; quod cum factum, productæ ſunt contra eum ſupplices Euſebii Epiſcopi Dorylenſis litteræ, quæ ipſum ut Hæreticum & Flaviani interfectorem accuſarunt; recitatis deinde conciliabuli Epheſini actis, nec non Synodi Conſtantinopol. adverſus Eutychen, de omnium Patrum ſententia judices pronuntiarunt damnationem Thalaſſii, & aliorum qui cum ipſo Dioſcoro improbo Epheſino conventui præfuerant; eorum autem, quos iidem damnaſſent, abſolutionem. *In* II ſoli Epiſcopi congregati ſunt, ut prorſus de prioribus agerent; Euſebius, iterum Dioſcorum accuſavit, petens, ut poſt actorum lectionem adverſarius in Concilio compareret: Cùm itaque ter citatus, conſcientiæ quaſi ſtimulo percuſſus, non veniret, & nil jam reliquum ad ejus excuſationem ſupereſſet; unanimis Epiſcoporum conſenſus Dioſcorum omni Epiſcopali dignitate & ſacerdotali miniſterio ſpoliatum, pronuntiavit. De hoc deinde literas ad Imperatorem, & abdicationem Dioſcoro miſerunt. *Conventu* III primum reſponſum eſt ad rogata Principum, de vera rectaque fide doceri cupientium; dictum poſtea, non debere quicquam amplius de cauſa Eutychis ſemel diſcuſſa ſtatui: In quam ſententiam omnes quaſi pedibus iverunt: cùm etiam omnes Epiſcopi, ſe eadem affirmare, clamarent, & Principes verbis quemque Patriarcham hortarentur, ut una & altera perſona cujusque eorum diœceſeos in medium prodiret, quo ſententia cujusque perſpicua cognoſceretur: *Florentius* Sardenſis Epiſcopus poteſtatem petiit, ut cum Concilio & rebus tempore deliberatis, ipſi poſſent ad veritatem accedere: Tunc *Cecropius* Epiſc. Sebaſtopolitanus, fides, inquit, & præclare expoſita eſt à CCCXVIII. Patribus, & confirmata deinde à Patribus Athanaſio, Cyrillo &c. ac jam denuo à Leone ſtabilita: petimus itaque, ut horum fidei formula legatur. Qua perlecta, totum Concilium clamavit: iſta eſt fides Orthodoxorum, ſic o-

mnes

mnes credimus &c. Lecta dein formula fidei à Patribus 150. Conſtantinopoli edita, ſimili acclamatione approbata eſt. Rebus hiſce confectis, *Aëtius* Archidiaconus Cyrilli, Epiſtolam ad Neſtorium, quam omnes Epiſcopi Epheſi congregati, ſubſcriptionibus ſuis ratam fecerant, cum illâ, quam ad Johannem Antiochiæ Epiſcopum Cyrillus dederat, produxit, & ut perlegerentur, poſtulavit: quod cum factum eſſet, Illuſtres Principes ſciſcitabantur, utrum quicquam amplius dubitarent? Reſponderunt omnes negando. Poſt Atticus Nicopolis Epiſcopus dies aliquot omnibus dari poſtulavit, ad deliberandum, ut ea, quæ & DEO placerent, & S. Patrum doctrinæ conſentirent, conſtanti & ſtabili mente decernerentur. Hujus petito Principes annuerunt, & illis ad deliberandum dies quinque, ut cum Anatolio Conſtantinopolitano Antiſtite convenirent, conceſſerunt; tandem adjecit Concilium, petimus à Patribus, ut Concilii hujus primarii pro nobis orthodoxis Imperatori & Auguſtæ ſupplicent: Omnes peccavimus, omnibus detur venia! Hiſce aliisque generis rebus agitatis, conventus dimiſſus eſt. *Proximo* poſt *Conventu* nempe IV. cum publicatum eſſet, Flavianum & Euſebium in Epheſino Concilio altero inique abdicatos, jam itaque Concilium, ſi ſanctiſſ. & diviniſſ. Imperatori placuerit, ſecundum canones, Dioſcorum cum ſuis viciſſim omni Epiſcopali dignitate ſpoliaſſe, Epiſcopi, qui ibi erant coacti, interrogabantur utrum litteris Leonis & fidei tum CCCXVIII. Patrum Nicæn. tum CL. Conſtant. conſentirent? *Anatolius* Conſtantinop. Antiſt. & omnes qui aderant ad unum reſponderunt, Leonis Epiſtolam cum fide SS. Patrum quos diximus conſentire; & ſic eidem Epiſtolæ ſubſcripſerunt. Hiſce ita conſtitutis, clamavit Concilium, omnes aſſentimur, omnes iſta approbamus, omnes ſimiliter credimus, omnes eadem ſentimus, omnes ſic credimus; ad multos annos vivant Imperator & Auguſta. Cum autem quidam ex illis dicerent, Deo rationem reddituros eos eſſe quod ſibi inſcientibus Dioſcorum abdicaſſent, & ita Concilii acta conſtituiſſent, clamarunt cæteri; Dioſcorum DEUS abdicavit, Dioſcorus jure abdicatus eſt. Iſti deinde qui Leonis Epiſtolæ ſubſcripſerant in Concilium adſcripti ſunt. His confectis rebus, ſupplices libelli ab Epiſcopis Diœ-

ceſeos Ægypti Imperatori oblati, legebantur, in quibus Ægyptii confitebantur, ſe Symbolo Nicæno aſſentiri, & omni hæreſi tum Arii, tum Eunomii, tum Manetis, tum Neſtorii, tum eorum qui docent, carnem Domini noſtri de cœlo delapſam, anathema denuntiare: Interrogabat tunc Concilium, cur non & Eutychi anathema dicerent, & Leonis conſentirent Epiſtolæ? Reſpondebant, multos adhuc eſſe in Ægypto Epiſcopos, ſeque non poſſe abſentium perſonas ſuſcipere; exſpectaret Concilium Archiepiſcopum, qui, ſicut mos poſtulat, illius ſententiæ morem gereret. Supplices deinde quorundam monachorum libelli proferebantur; quorum ſumma fuit, ut nemo chartis ullis ſubſcriberet, donec Concilium frequens cogeretur, & Dioſcorus cum ſuis injuſte abdicatus, Concilio intereſſet; hoc ſi non fieret, ſe à communione Epiſcoporum ſe ſeparaturos. Lectus eſt reſponſionis loco canon, de iis qui ſe ſeparant, & cum adhuc repugnarent, ſupplices libelli Fauſti addebantur, ab Imperatore petentes, ne monachi, qui ante rectis dogmatis reſtitiſſent, deinceps reciperentur, propterea, quod Dorotheus monachus Eutychen vocaverat orthodoxum. *Poſt* V. Facto Conventu, Aſclepiades Diaconus Conſtantinop. deciſionem de fide, Principum juſſu legit, quæ videbatur, non eſſe in Commentarios referenda; De hac nonnulli diſſidebant, alii aſſenſi ſunt eidem. Principes deinde Leonis epiſtolam in deciſione inſeri voluerunt, cui cùm Epiſcopi contradicerent, affirmantes; aliam non debere fieri deciſionem, (eam enim perfectam eſſe) iſta ad Imperatorem deferebantur, qui jubebat, ut ex Epiſcopis Orientis VI. ex Ponto III. ex Aſia III. ex Thracia III. ex Illyrico III. præſentibus una Anatolio, & Epiſcopi Romani Vicariis, in templo convenirent, recteque de fidei rebus, & ſinguli ſuam ipſorum fidem, declararent; vel certum ſcirent, Concilium in Occidente ea de re coactum fore. Cum itaque ab hiſce rogatum eſſet: Dioſcoróne aſſentirentur, Chriſtum eſſe ex duabus naturis aſſerenti; an Leoni, dicenti duas in Chriſto naturas? Clamarunt, ſe & Leoni credere, & eos qui ei contradicunt, pro Eutychianis habere: tum Principes dixere, à Leone hoc adjungi; nempe in Chriſto duas naturas eſſe conjunctas, quæ nec converti, nec dividi, nec confundi poſſint. Ingreſſis

ſis demum Euphemiæ templum, fidei deciſio legebatur, quæ inter alia hæc notatu digna & h.l. probe notanda habebat. *Nam illis, qui myſterium incarnationis in duos filios dirimere vituntur, Concilium hoc ſtrenuè reſiſtit, & eos, qui divinitatem unigeniti patibilem dicere audent, à Sanctorum Conventu excludit, & illis, qui in duabus Chriſti naturis commixtionem aut confuſionem eſſe ſtatuunt, fortiter ad verſatur, & qui formam ſervi quam ex nobis ſumpſit, ex cœleſti aut alia quapiam eſſentia conſtare præ veſania ſentiunt, eos exagitat. Denique iis, qui ante conjunctionem naturarum duas naturas, poſt conjunctionem autem unam ſolum in Domino inaniter & falsò confingunt, edicit. Quamobrem S. Patrum ſententiam ſecuti, unum & eundem filium Dominum noſtrum* J. C. *confitemur, & uno conſenſu omnes docemus, eum perfectum in divinitate, perfectum etiam in humanitate, verè DEUM. hominem verè, eumque ex anima rationis participe & corpore conſtare; ſecundum divinitatem Patri conſubſtantialem, nobis autem conſubſtantialem ſecundum humanitatem, nobisque in omnibus excepto peccato ſimilem; ante ſecula à Patre genitum ſecundum divinitatem, in extremis diebus propter nos noſtramque ſalutem ex Maria virgine & Deipara natum ſecundum humanitatem: Vnum & eundem* J. C. *filium Dominum unigenitum ex duabus naturis, ſine earum confuſione, ſine mutatione, ſine diviſione, ſine ſecretione cognitum, & naturarum differentiam propter copulationem minimè ſublatam, ſed proprietatem utriusq; naturæ integram ſervatam & in una Perſona ſive* ὑποςάσει *una, ut Græci loquuntur cohærentem, non in duas partitam aut diviſam Perſonas, ſed unum & eundem filium unigenitum DEUM, verbum & Dominum* J. C. *ſicut antiquitus Prophetæ de eo & poſt ille ipſe Chriſtus nos docuit, & idem ipſum Patrum Symbolum nobis tradidit: &c.* Qua perlecta clamatum eſt, iſta omnium Patrum fides; Epiſcopi Primarii jam huic ſubſcribant; iſta Apoſtolorum fides, hujus quaſi veſtigiis omnes inſiſtimus; omnes ita ſentimus: Tum Principes hæc decreta & approbata ad divinam Imperatoris Celſitudinem detulerunt. *In* VI. verò *Conventu* Martianus Imperator aderat, deque Concordia ad Epiſcopos orationem habuit, atque ejus juſſu deciſioni fidei per Aëtium lectæ ſubſcripſerunt ad unum omnes. Rurſus Imperator binas habuit

buit conciones, & ejus hortatu canones ſanciti ſunt, jus quoque Metropolitanum Chalcedoni tributum. *Ad* VII. poſtea *conſeſſum* ventum eſt, & in eo Canones compoſiti ſunt. *In* IIX. deinde celebrata ſeſſione, de prærogativa Epiſcopi Antiochiæ & Hieroſolym. actum. IX. *Conventus* Theodoretum à Dioſcoro depoſitum, ad propriam Epiſcoparus ſedem reſtituit. *In* X. Jbæ cauſa fuit agitata, ſententia autem in poſterum diem dilata fuit. *In* XI. Acta Concilii ſecundi Epheſini irrita facta ſunt, & Jbas Synodi judicio Epiſcopatum ſuum recepit. *In* XII. *Conventu* Baſſianus Epheſii Epiſcopus, ut abiret Epiſcopatu, & Stephanus eundem reciperet, decretum eſt; idque per alium conventum confirmatum. XIII. Conventu cauſa Eunomii Epiſcopi Nicodemiæ, & Anaſtaſii Nicææ diſquiſita fuit, qui inter ſe de ſuis ipſorum civitatibus contenderunt. *In* XIV. tandem cauſa Baſſiani fuit excuſſa, & tandem concretum, ut Epiſcopalis ſedes Conſtantinopolitana proximum locum poſt Romanam obtineret, quamvis contradicerent Leonis Legati: conf. *Evag. Lib. II. c.* 2. 3. & 4. *pag.* 968. 974. & *c.* 18. *p.* 982. 993. *Niceph. L. XV. c.* 2. 8. *p.* 788. 794. & *c.* 30. *p.* 814. 824. *Zon. T. III. f.* 118. a. & b. *Spond. An.* 451. *n.* 1. & 4. & 9. 33.

§. XVIII.

Non autem hoc Concilium, uti quidem Imperator cum Pontif. Rom. ſibi ſpem fecerant, Eccleſiæ diu exoptatam pacem reſtituit, aut diſſentientium inter ſe de religione & fidei articulis, animos compoſuit. Obſtabat I. Sententia orthodoxa, quæ è diametro quaſi hæreſi Eutychis & Dioſcori oppoſita, cui nullo modo contrariæ ſententiæ addicti aſſentiri volebant: Uti *Evagrius Lib. II.* & *III.* teſtatur, Eutychianos non ſolum illud Concilium & ejus decreta rejeciſſe, verum etiam cum illud, tum Leonis de fide deciſionem anathemate damnaſſe. Ipſe enim genius hominum diverſa religione imbutorum ſibi invicem repugnat, ut coire non poſſint; conſiſtit autem unitas non tantum in verbis, ſed etiam in perfecta congruentia animorum, ut idem ſub verbis intelligamus. II. Homines limitanei nullo modo deciſione Concilii contenti erant, ſed uti ſupra vidimus, ſemper proteſtati ſunt de iis, quæ in Concilio acta, nec Epiſtolæ Leonis nec deciſioni fidei ſubſcripſerunt, ſe

excuſan-

excuſantes, abſentium perſonam ſuſtinere non poſſe: Hacce deinde occaſione rebelles monachi minabantur, ſe à communione Epiſcoporum ſeſe ſeparaturos, niſi contumelia à monaſteriis tolleretur. III. Anathema etiam, omnibus qui vel contra hoc Concilium auderent aliam fidem componere, aut proferre, aut docere, denunciatum, Orthodoxos ab Heterodoxis dirimebat. Et ſic fruſtra Cæſar cum Epiſcopis diſſentientes hoc Concilio unire conatus eſt. conf. *loca ad præced. §: allegata.*

§. XIX.

Zeno igitur Imperator, Leonis ſocer, & Ariadnes maritus; quem §. V. deſcripſimus, cum tot remedia, ad pacem reconciliandam propoſita, omnino felici caruiſſe eventu videret, & Rempublicam tum fore ſtabilem & felicem, pacem quoque Eccleſiæ conſtantem, perſuaſum ſibi haberet, ſi ipſe neutrius partis ſententiam in totum rejiceret, ſed cuique ſuam permitteret libertatem; *Acacio* & *Petro Mongo* conſulentibus, Henoticum ſuum conflavit. In quo Eutychi in ſpeciem quidem anathema denuntiavit; non tamen ſincerè fidem Chalcedonenſem approbans, talia verba uſurpavit, ſub quibus & Eutychiani latitare poterant. Ambiguis enim loquendi formulis expreſſum Henoticum, ſenſum ſatis commodum prima facie admittebat, interius verò veneno tinctis. Simile huic Henotico *Carolus V.* ſuperiore ſeculo *Interim* perſcribi curavit. De quo *Petus Svavis in Hiſtor. Concil. Trid. Lib. III. p.m.* 324. narrat: *Quod viri docti ejus temporis ſibi revocarint in memoriam* Ἑνωτικὸν *Zenonis*, Ἔκθεσιν *Heraclii*, *&* τύπον *Conſtantis, aliasque id genus ſciſſuras Eccleſiæ, quibus Imperatoriæ de religione conſtititutiones causam dedere; dixerintque, ad tria illa nomina, ante ævo unitatis prætextu Eccleſiæ propter diviſiones infauſta, quartum hoc Caroli V. Interim, non immerito poſſe adnumerari.*

§. XX.

Hic qui prætendebatur huic Henotico finis & ſcopus, primo intuitu nil præ ſe fert, quod in vituperio ponas, quin potius ita ſeſe noſtris inſinuat animis, ut non modo eum appetamus, ſed & felicius obtinendum avide exoptemus. Erat autem *hujus Henotici finis intermedius Conciliatio diſſentientium.* ita enim habet Epiſtola: *Piusque DEI populus in pace & divina*

E concor-

concordia ; *&c.* & iterum; *Libelli nobis ſupplices oblati, vehementer nos obteſtantur, ut ſanctiſſimis Eccleſiis reſtituatur concordia, membraque membris conjungantur &c.* & in fine : *Quocirca vos ſpirituali matri Eccleſiæ adjungite, atque ſecundum unam ſolamque fidei deciſionem CCCXVIII. Patrum nobiſcum una divina in ea communione fruimini.* Nil certè melius ſecundum externam quidem formã concupiſci poterat, quàm certaminis meta & concordia Catholica. Sicuti enim nemo eſt, qui gaudere nolit, ita nemo eſt, qui pacem habere nolit, quandoquidẽ & ipſi, qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt; ad glorioſam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. conf. *Aug. de C. D. L. XIX. c. 12.* Pacis & concordiæ nomine nil dulcius, nil optatius : Et quis quæſo Chriſtianorum à pietate & concordia tam remotus erit, qui exoptatiſſimam tranquillitatem & auream Eccleſiæ pacem, unde Salvator noſter שר השלום *Eſa.IX. 6.* dicitur, repudiaret. Sed hæc, ut per ſe veriſſima, ita in hypotheſi falſiſſima, & perſiſtere nequeunt: Optimè quidem conveniunt paci veræ, non ita fucatæ, falſæ, & veram deſtruenti. Fraternam itaque & ſpiritualem communionem, quam hodiè Irenes filii cum Papiſtis, & Calvianianis ineundam & colendam proponunt, utut illi errores ſuos adhuc retineant, defendant & propugnent, veritatem verò cœleſtem reprobent, inſectentur & impugnent : meritò cum *Beato & Acutiſſimo D. Dannhavvero in Syncretiſ. retecto p. 2.* appellamus, *quod foris ſit amabilis, delicata & pulchra; atſi intima introſpicias cubilia, immane monſtrum; ſerpens, intus Satanas,* εἰρήνη, *intus* Ἐρυννις; *extus pomum* Ἔρωτος, *intus* ἔριδις, *uno verbo, Hyæna, de qua Syrac. cap. XIII. v. 22.* τὶς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα;

§. XXI.

Vltimus & ſummus, quem hoc ſuo Henotico *finem* obtinere intendebat Zeno, *corroboratio* erat *Imperii*, & *throni confirmatio* : Nil enim magis tum temporis ſibi expetendũ ipſi videbatur, quam favor, amor & concordia eorum, quos nuperrimè denuo ſubjecerat. In memoria adhuc recenti erat exemplum Baſiliſci Anti-Cæſaris; hic ſi Encyclicis ſuis pacem Eccleſiaſticam obtinuiſſet, nunquam de throno & imperio fuiſſet dejectus : conſtabat quoque inſuper, quam interna diſſidia Barbaris occaſionem

dediſſent,

dediſſent, ut S. Imperium devaſtarent, imo aliquando Imperatores ipſos expuliſſent. Hoc Zeno ſecum agitans, non uti decebat, gloriam divinam, ſed Imperii ſui conſervationem & felicem gubernationem, ultimum h. l. finem faciebat. Ita enim in ſuo Henotico ſtatim à fronte ſcribit: *Quoniam pro certò ſcimus, Imperium noſtrum à ſincera, ſola, & vera fide, tum initium habuiſſe, tum ſtabilitum eſſe, tum robur ac præſidium, quod expugnari nequit, ex ea ſumpſiſſe, ideo* &c. Item: *piusque DEI populus gratas acceptasque precationes DEO pro noſtri imperii conſervatione offerat. Tum non modo omnia adverſariorum genera fracta debilitataque concident; verum etiam omnes alii mortales ſuam ipſorum cervicem jugo noſtri Imperii proximè ac ſecundum DEUM ſponte ſubjicient.* Hoc quoque unicum eſt, quod Principes, ſi Irenepoëtis conſentiant, impetrare ſperant: Ita enim *M. Anton. de Dom. L. VII. c.* 12. *Hæ religionis vaniſſimæ diſſenſiones turbarum cauſa ſunt ingentium, bella civilia inter Chriſtianos excitant, Rempublicam etiam ipſam civilem pace & tranquillitate ſua frui non permittunt; &, quod malorū omnium temporalium ſumma eſt coronis, Turcam excitant, ut hoc, quod reliquum eſt noſtræ Europæ, in quod vehementer inhiat, totum devoret & abſorbeat.* Verum enim vero fruſtra hic Pſeudo-Politici ſibi blandiuntur, & perſuadent, pacem hanc ſyncretiſticam ſtatum Reipublicæ reddere meliorem, quin potius ſe ſuosque majori periculo exponant, ac potentiſſimi DEI iræ ſubjiciant. Ita enim *D. Dannhavv. in Myſt. Syncret. retecto p.* 116. ſcribit: *Dudum ſuo malo experta eſt Germania, quid barbara Synceratio damni dederit, quid datura ejus gemella Syncretizatio, haut temerè metuit; metuere ſane debet prædam ovium, canum vigilum ſublatis, voce prohibitâ: metuere debet inteſtina bella è gliſcente ſub Syncretiſmo violento, veritatis ſe aliquando vindicaturæ, oppreſſo igne.* Haut imprudenter monuit *in nup. Thorun. Colloq.* Charit. *Schönhoff.* Jeſuita *ſeſſ.* 22. *ſuffocari quidem ad horam poſſe immitiores odiorum flammas; neceſſe tamen eſſe, ut ſemper trepident, qui ſe ſciant incedere per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.*

§. XXII.

Media, quæ Zeno ad hunc ſuum obtinendum ſcopum proponebat, alia erant negativa, alia poſitiva. *Poſitiva*, Symbola tria,

tria, Nicænum, Conſtantinopolitanum & Epheſinum. *Nicænum*, quod habitum eſt A. C. CCCXXV. & à Conſtantino M. Nicææ urbi Bithyniæ coactum; in quo tot convenerunt ex toto orbe Epiſcopi, quot Abraham ſervos habebat, cum Reges ſuperaret, conf. *Gen. XIV.* 14. Hi omnes una voce & ſententia, paucis exceptis, qui ad Arium defecerant, impium Arii dogma; quod *ſolus Pater eſſet natura DEVS & æternus; Filius quidem ante ſecula à Patre conditus, ſic tamen ut aliquando tempus fuerit, quo non eſſet: non natura DEVS, atque ideò Patre inferior, cum non eandem cum ipſo haberet eſſentiam*, damnarunt &; præclaram illam fidei confeſſionem, quâ Ὁμοȣσία Filii DEI ſtrenuè aſſeritur, quæque adhuc hodie, Symboli alicujus univerſalis inſtar, apud omnes ubique Chriſtianos obtinet, condiderunt, atque Ario anathema dixerunt. conf. *Euſeb. de vita Conſtant. Lib. III. c. 6. 20. p. m.* 228. 284. *Socrat. Lib. I. cap. 5. 8. pag.* 397. 409. *Theod. L. I. c. 7. pag.* 602. *Sozom. Lib. I. c. 16. p.* 44. *Zonar. T. III. An f* 109. b. *Niceph. L. VIII. c. 13. 23. p. m.* 325. 341. & *Spondan. An. 325. num. 1. 50.* Secundum Oecumenicum Concilium, *Conſtantionopolitanum* nempe, juſſu Theodoſii Senioris, Principis Eccleſiæ & Reipublicæ utiliſſimi A. C. CCCLXXXI. ab Epiſcopis CL. contra Macedonianos fuit celebratum; In quo Macedoniani, ut à perverſo dogmate & impiis in Spiritum S. blaſphemiis diſcederent, ac ad fidem conſubſtantialem Symbolumque Nicænũ accederent, primũ fideliter ſunt admoniti; quod cum recuſarent facere, anathemate ſunt percuſſi; Patres autem contra adverſariorum hæreſin Symbolo Nicæno hæc verba adjecerunt: *Et in Spiritum S. Dominum vivificantem, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & glorificatur, qui locutus eſt per Prophetas.* conf. *Socrat. L. V. p.* 527. *Theod. L. V. c. 8. p.* 700. *Sozom. L. VII. c. 7. p.* 898. *Zonar. T. III. Annal. fol.* 116. a. *Niceph. XII. c. 12. & 13. pag.* 603. 604. *Spondan. An.* 381. *n.* 2. 6. Tertium denique Concilium Oecumenicum, *Epheſinum*, inſtante Cyrillo, qui contra Neſtorium ſcripſerat, juſſu Imperatorum A. C. CDXXXI. indictum eſt: In hoc venerando Patrum conſeſſu, Neſtorius blaſphemiis, (quas in Chriſtum dicere non erubeſcebat, negans; *DEVM hominem factum: Mariam Θεοτόκον eſſe; duas in Chriſto naturas eſſe unitas;*) accuratius excuſſis, unanimi CC. Epiſcoporum

tum ſuffragiio damnatus & excommunicatus eſt. XII. vero Cyrilli capita, una cum Anathematiſmis, quæ habentur apud *Niceph. XIV. c. 33. pag.* 746. ſunt recepta. conf. *Socrat. Lib.VII. c. 33. p.*583. *Evag. L. II. 3. 4. p.* 954. 955. *Zonar. Tom. III. An. p.*117. b. *Acta Synod. Epheſin. Peltan. Tom II. c.*10. *p.*378. *Niceph. L.XIV. cap.* 33. 34. *p.* 746.748. Hiſce jam recenſitis decretis & Symbolis Conciliorum inſiſtere,& aſſentiri volebat Zeno, videns, nihil in iſtis haberi, quod Eutychiani, quos fratres & Eccleſiæ ſibi membra optabat,ſimul profiteri non poſſent;Exiſtimans præterea, tria illa Symbola ſufficienter omnia creditu neceſſaria propoſuiſſe;in illa igitur generalitate acquieſcendũ eſſe,volebat.Hæc enim ſtatim ab initio Henoticum ipſius habet:*Fidem ſinceram,quam divini Numinis inſtinctu CCCXIIX. S. Patres Nicææ congregati expoſuerunt, quamque etiam confirmarunt CL. S. Patres Conſtantinopoli coacti, laboramus, ut in S. Catholica & Apoſtolica Eccleſia plenè & perfectè expleatur.* & deinde. *Quocirca dedimus operam, ut vos intelligatis, cùm nos, tum omnes ubique Eccleſias, non aliud Symbolum, vel doctrinam. vel deciſionem fidei, vel fidem, quam S. Symbolum, de quo diximus, CCCXVIII. Epiſcoporum; quod CL. Patres, quos ſupra commemoravimus, confirmarunt: aut habuiſſe, aut habere, aut habituros eſſe, aut ſcire, alios habere; nam hoc ſolo noſtrum Imperium, uti docuimus, conſervari confidimus.* Et paulo poſt: *Eidem quoque aſſenſi ſunt S. Patres in Concil. Epheſino congregati, qui impium Neſtorium,& ejus erroris fautores, miniſterio Eccleſiaſtico abdicarunt: approbamus ea, quæ XII. Cyrilli capita, piæ memoriæ S.& Catholicæ Alexandrinæ Epiſcopi* &c. & iterum, *quare cùm exploratũ habeamus; cum omnes ſanctas ubique & orthodoxas Eccleſias, tum eorum Præſides Deo chariſſimos, tum noſtrum imperium, nullum aliud ſymbolum aliamvè fidei deciſionem, præter ſymbolum, de quo modo ſumus locuti, vel admittere velle, vel admiſiſſe.* Et tandem: *Quocirca ſecundum unam ſolam fidei deciſionem CCCXVIII S. Patrum nobiſcum una divina in ea communione fruimini.* Idem certum eſt, quod hodie mirum in modum jactitent illi, qui diverſas in religione partes conciliare laborant. Subſternunt enim & illi tale quid generalius, ut eo facilius cum quibuscunque conveniant, Symbolum ſcilicet Apoſtolicum, & Oecumenicorum Conciliorum publicas confeſſiones

nes ſimpliciter intellectas; utpote, quæ explicite, adæquatè, & ſpecificè omnia comprehendant, ut nil haberi debeat pro fidei dogmate, aut articulo, quod in illis non contineatur.

§. XXIII.

Quorſum hoc tendat, quod Zeno ita voluit commendare, medium poſitivum, & jubere, ut omnes unicè Symbolo Nicæno aſſentirentur, facilè apparet; locum nempè Cæſarea authoritate ſoli illi Symbolo, quod in ſynodo Nicæno compilatum, in Conſtantinop. & Epheſino autem explicatum, ut antiquiſſimo, completiſſimo, & omnia creditu neceſſaria comprehendenti, eſſe concedendum; contra verò, novum illud Chalcedonenſe non eſſe tolerandum, cum, ut exiſtimabat Imperator, unionem & bonum ordinem DEI Eccleſiarum turbaret, pacem quoq; mundi totius, imo Imperii ſui felicitatem impediret, ideoque abrogandum. Imperator videbat optimè, quantum pro retundenda Eutychis doctrina acta Concilii Chalcedonenſis facerent, & propter rationes §. 17. allegatas, obſtarent, ne pax ex ſua ſententia Eccleſiæ reſtitueretur: *Medium* itaque *negativum*, ſuo inſtituto promovendo maximè idoneum, arbitratus eſt Zeno, *eſſe Symboli Chalcedonenſis remotionem*; Ita enim ejus verba ſe habent in Henotico: *Quod ſi quiquam aliud* (præter ſupra nominatum Concilium Nicænum) *habeat, eum ab Eccleſia alienum exiſtimamus*: & deinde: *Qui autem aliud quiddam vel ſenſerit, vel ſentiat, ſive jam, ſive alias, ſeu in Concilio Chalcedonenſi, ſeu in alio quovis Concilio, anathema indicimus.* Quod hoc ipſum medium, jamdudum à Zenone excogitatum, poſtliminiò noſtris quoq; temporibus incruſtatũ ſit, & adhuc à Pacificatoribus incruſtetur, nemo ignorare poteſt, qui Irenica hodierna conſilia intellexerit. Quid enim aliud Irenopoëtæ faciunt, quando ſtandum determinatione antiquitatis, & quinque ſeculari urgent, quam quod accuratiores fidei expoſitiones ſpernant, ne Arminianos, Calvinianos, & Pontificios pro Hæreticis agnoſcere teneantur. Ipſis autem ſunt Hæretici, non ii, qui contra veritatem fundamentalé in ſacris litteris contentã, contrariũ docent; ſed neſcio qui alii, qui quidem Chriſtiani audire cupiunt, interim tamen quoddam fidei dogma, ad ſalutem abſolutè neceſſarium, vel Symboli apoſtolici Articulum propo-

ſitum,

ſitum, & eatenus non incognitum, poſitivè, expreſsè, directéque negant, ac tanquam falſum rejiciunt.

§. XXIV.

Zeno autem, quo magis fallacem hanc concordiam, & dubiam pacem, utpote nullo firmo ſtantem talo, aut certo fundamento ſubnixam, ſuis perſuadeat, pluribus utitur pigmentis. Sicuti enim omnis ratio dicendi tribus ad perſuadendum rebus abſolvitur; ut probemus nempe, vera illa eſſe, quæ defendimus; tum, ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; & demùm, ut animos eorum, ad quemcunq; cauſa poſtulaverit, terminum impellamus; ita & Zeno hanc ſecutus eſt methodum. Primò enim ἠθικὰ proponit *argumenta*, à pietate & prudentia in tollendis publicæ pacis impedimentis, & ſtabiliendo Imperio deſumpta; quando ſtatim à fronte ea collocat, quibus animi & naturæ ſuæ affectum in ſinceriorem DEI cultum, & veram religionem, nec non uberiorem Reipublicæ ſalutem declaret, animumque adeo vel audientis, vel legentis ſibi faciliorem reddat, atq; conciliet: *Quoniam*, inquit, *pro certo ſcimus, Imperium noſtrum à ſincera ſolum & vera fide tum initium habuiſſe, tum robur ac præſidium, quod expugnari nequit, ex ea ſumpſiſſe; noctes dies q; non precibus ſolum, ſed ſtudio etiam omni & legibus ſancitis laboravimus, ut ea in ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia DEI, quæ ubique terrarum eſt, quaque immortalis & ſempiterna noſtri Principatus quaſi parens eſt, plenè perfecteque expleatur.* Et deinde: *Jam cum conſtet inter omnes, nos, Imperiumque Romanum, ſinceræ fidei ſubſidio conſervari, cùm ergò efferuntur litteræ &c. Quotusquisque ergo eſt, qui non optarit, iſta corrigi, adque ſtatum reduci meliorem; quocirca dedimus operam, ut vos intelligatis: &c. Nam hoc ſolo noſtrum Imperium, uti docuimus, ſervari confidimus.* Anathema deinde dixit, cum Neſtorio, tum Eutychi, & talem fidei propoſuit confeſſionem, ut ſubdolè perſuaderet, veram & ſinceram ſe tenere religionem; deinde prudentiæ quoque meminit, quam in tollendis publicæ pacis impedimentis, ſtabiliendo imperio, & promovendis ſubditorum utilitatibus ex boni Principis officio adhiberet &c. Hic, niſi in totum fallor, & Irenopoëtæ, quos noſtra alit ætas, Zenonem imitantur; Pietatem enim & iſti jactant, eamque unicè ſibi

cordi

cordi eſſe clamitant, cum interim tamen talem adornant religionem & fidem ſarcinant, ſub cujus tegumento nullus fere error latere non poſſit; tale denique Eccleſiæ ædificant ovile, quod & lupos cum ovibus complecti poſſit; addunt deinde, curæ ſibi eſſe pacem ac tranquillitatem publicã, uti *D. Danhauerus* oſtendit *in ſyncretiſm. detecto ſect. III. p. 53.* quando ex *Parei Irenico c. 14.* hæc allegat: *Arrigite quaſo aures, ô Proceres Evangelici, (Theologi enim ſurdi ſunt,) neque, an Syncretiſmo cruento Syncretiſmum pacis opponere debeatis, diutius cunctamini, nè ſerio tandem ſubeat Bucolicus luctus*

— — Hem! quo diſcordia cives
Perduxit miſeros! Hem quos conſeuimus agros &c.

§. XXV.

Propoſitis ita ἠθικοῖς argumentis, propius deinde Zenonem aggreditur, rationes & *argumenta* λογικὰ ſubnectens, quibus ſe ad præſens negotium de rejiciendo ſymbolo Chalcedonenſi, & concordia impoſterum ſtabilienda, adigi docet; Quibus etiam firmius hominum mentes conſtringi, inque ſuas partes allici, exiſtimat: Oſtendit itaque, hoc ſuum propoſitum de uniendis diſſidentium animis, non tantum eſſe pium & æquum, ſed maximè etiam utile, cum magna tollat mala; ita enim Henoticum: *Nam ſi prapotens DEus & Servator noſter I. C. qui ex S. Maria virgine Deipara carnem ſumpſit, & natus eſt, noſtras conſentientes laudes & cultum, quem ei tribuimus, approbet, lubenſque & quaſi parato animo excipiat; non modo omnia adverſariorum fracta debilitataque concident; verum etiam alii omnes mortales ſuam ipſorum cervicem jugo noſtri Imperii, proxima ac ſecundum DEum ſpontè ſubjicient, & pax eiuſque commoda, aquabilis aëris temperatio, fructuumque cuiuſque generis abundantia, aliaque omnia, qua ſunt ad humana vita uſum accommodata, affatim ſuppeditabuntur.* pergit deinde: *Damon pro certo perſuaſus, ſi corpus Eccleſia concordia vinculis firmè cohærens impugnaret, ſe ſuperatum iri. Nam quia membra Eccleſia non coaleſcebant, factum eſt, ut infinita hominum multitudines, quas temporis longinquitas tot annorum curriculis ex hac vita exemerit, partim baptiſmatis lavacro carentes mortem obierunt, partim divina communionis minimè facta participes ex corporis cuſtodia emigrarunt. quia etiam*

cades

cædes ferè infinitæ inde factæ, & non terra modo, verum etiam aër copioſa ſanguinis effuſione inquinatus. Quotus quiſque ergo eſt, qui non optarit, iſta corrigi, & ad ſtatum reduci meliorem? Tandem, cum oſtendiſſet, Symbolo Nicæno Patres probatos interfuiſſe, & in Conſtantin. & in Epheſina Synodo collectos: omnes quoque Eccleſias orthodoxas, & earum Præſides Symbolũ illud ſemper admiſiſſe, & confirmaſſe; Populum quoque idipſum Symbolum amplexatum, ſalutari Spiritus S illuſtrari lumine, & ſacro baptiſmatis lavacro tingi: hæc addit: *Iſta equidem certè vobis ſcripſimus, non ut novaremus fidem, ſed ut de fide vobis penitus perſuaderemus.* Utinam ſimilia argumenta, noſtro ſeculo Irenicis ſcriptis inſita, non invenirentur. Multos enim ſanctum ſc. illud concordiæ & pietatis ſtudium, multorum commodorum jactantiâ commendatum, & hæderæ inſtar præfixum, decipit. Omnia ipſorũ conſilia quam maximè pietatis & utilitatis fuco exornata ſunt: Benè, ajunt, & nos credimus, quod majores pii crediderunt, nil negamus, quod littera catechetica, aut Symbolum Apoſtolicum, omnibus creditu neceſſarium, proponunt, veneramur fidem illam Apoſtolicam, recipimus, tuemur: deſinant ergo lites, redeat pax amabilis; en dextra fidesque! Omnia quidem ſplendida & perquam ſpecioſa; quæ autem ſub hiſce ita ſpeciosè dictis latitent mala, in ſcriptis ſuis anti-ſyncretiſticis pluribus *D. Hunnius, Hulſemannus, Dannhauerus, & Calovius,* ad oculum demonſtrarunt.

§. XXVI.

Addit tandem Imperator *argumenta* παθητικὰ, ut affectus eorum, ad quos ſcripſerat Henoticum, concitaret, & ad aſſumenda unionis propoſitæ remedia perſuaderet, ideoque non tantum anathema annunciat reſiſtentibus, ſed & favorem DEi & ſui promittit obedientibus: ita enim Henoticum: *Quod ſi quisquam aliud habeat Symbolum, eum ab Eccleſia alienum exiſtimamus*: & iterum: *Cuique autem, qui aliud quiddam vel ſenſerit vel ſentiat, ſive jam ſive alias, ſeu in concilio Chalcedonenſi, ſeu in alio quovis concilio, Anathema indicimus.* Tandem hiſce concludit verbis: *Quocirca vos ſpirituali matri Eccleſiæ adjungite, nam ſacroſancta veſtra mater Eccleſia, dum vos ingenuos ſuos filios amplecti cupit, tum veſtram diu optatam dulcemque vocem audire*

deſiderat. Properè igitur vos ad eam recipite, nam ſi hoc præſtiteritis, non Domini modo Servatoris & DEi noſtri I. C. benevolentiam vobis conciliabitis, verum etiam à noſtra Celſitudine magnam laudem conſequimini. Nec ab hiſce, illos, qui noſtro ſeculo Irenes volunt filii eſſe, im̃unes prorſus dicere poſſumus. Deeſt quidem adhuc quibusdam brachium ſeculare, hoc ſi acceſſerit, experiremur fortè, (quod tamen DEus clementiſſimè à nobis avertat,) hos, qui cooperantur, ac à ſpiritu mendaci, & homicida ſe duci patiuntur, multò fore pejores aliis hæreticis, illos, quos perſuaſionibus ſuis fraudulentis ſibi adjungere nequeunt, fulmine anathematis percuſſuros.

§. XXVII.

Hæc jam eſt Helena illa, ſatis ſplendida & amabilis, Zenonis juſſu ab omnibus amplectenda; ſed, age, larvam detrahamus, & facie ſua genuina iſtam ſiſtamus, ut non facilè quisquam eandem amaverit. Propoſuerat Zeno *medium poſitivum, ſufficientiam ſc. Symboli Nicæni in fidei articulis, in Synodo Conſtantinopolitana, deinde & Epheſina declarati*: Secundum hanc unam ſolamque fidei deciſionem volebat concordiam inter diſſentientia membra recõciliari. Hoc autem medium ad hunc finem fuiſſe ineptiſſimũ, eô apparet, quod in iſtis Symbolis de præſenti materia, hæreſi nempe Eutychiana, nihil, ſaltem ex profeſſo, fuerit definitum. Operæ pretium itaq; feciſſet Zeno, ſi & illud, ex quo deduxerat concluſionem, probatum dediſſet, quod nimirum Synodi Nicænæ ſola & unica fidei confeſſio, ſatis eſſe poſſit, non ſolum ad regnum gratiæ per baptiſma ingrediendum, ſed & regnum gloriæ impetrandum. Vidimus ſupra §. 21. ſcopum non fuiſſe Conciliorum, omnes exponere articulos fidei fundamentales; ſed controverſiam, quæ iſto tempore ſub diſceptatione erat, definire; cæteris, quæ tum controverſa non erant, relictis, etſi non minus forte ea fundamentum fidei concernerent. Docent id acta Conciliorum apertiſſimè; Ita enim *Concil. Nicæno* definita fuit contra Arium Ὁμοȣσία Filii Dei cum Patre, ut non ita definiretur Spiritus S. perſonalitas divina, etſi non minus creditu neceſſaria, quam illa. Quæ poſtmodum in Concilio Conſtantinopolitano definiebatur contra Macedonium:

num. Sic in *Synodo Conſtantinopolitana* adverſus Macedonianos Spiritus S. perſona divina quidem aſſerta, alia autem, quæ de unione perſonali duarum naturarum in Chriſto, de que aliis articulis creditu neceſſaria ſunt, prætermiſſa fuere: Sic & in *Synodo Epheſina* actū; Cum enim Neſtorius non quidem naturarum confuſionem, uti deinde Eutyches; Attamen è diametro contrariam hæreſin, earum ſcil. ſeparationem, docebat; Patres hujus Concilii orthodoxam propoſuere ſententiam, non quidem Eutychis qui tum temporis nondum erat, Neſtorii tamen contrariam, hæreticum dogma adſtruentis. Ex hiſce conſtat, falſam Zenonis eſſe hypotheſin, aſſerentis, Symbola Synodi Epheſinæ & Conſtantinopolitanæ eſſe explicationes Symboli Nicæni, & unicam fidei deciſionem. Articulus enim de vera & perſonali naturarum in Chriſto unione, citra confuſionem & mixtionem, non levioris momenti fidei articulus eſt, quam reliqui in ſuperioribus Symbolis traditi. Adducimus probationis loco ipſum Salvatoris noſtri dictum *Ioh. XVII. 3.* αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν χριστόν. Itaque concludimus, Symbolum Chalcedonenſe non leviora, minuſque neceſſaria, cæteris Symbolis, ſed orthodoxiæ arctiſſimè connexa promulgaſſe; ideoque negamus aſſertionem Zenonis, Symbolum Nicænum ſolam eſſe deciſionem fidei, cum non omnia dogmata creditu neceſſaria contineat. Concedimus Nicæno Symbolo ſufficientiam ſecundum quid, non autem abſolutam; quare huic Symbolo nil decedet, ut antiquiori, etſi de hac vel illa controverſia apertè nil ſtatuerit; ſufficit enim, ſi controverſias dirimat, quarum gratia factum eſt. Interim tamen in alia fidei controverſia non licet ſtatuere, quod cuique lubet.

§. XXVIII.

Quod autem *negativum medium*, *rationem* nempe *Symboli Chalcedonenſis*, ab Imperatore propoſitum, attinet; ſtatuimus illud ſyncreticum, & fini debito obtinendo eſſe contrarium. Conabatur Zeno, orthodoxos conciliare cum heterodoxis: & tamen ſententiam orthodoxorum, Symbolum Chalcedonenſe rejiciendo, non approbabat. Quomodo igitur orthodoxi, quæſo, ſeſe adjungerent heterodoxis, niſi & ipſi hæretici fierent! Zeno

itaq; hac ſua epiſtola conciliatrice non uniebat Eccleſiam, ſed tertiam factionem addebat. Erant enim diviſi Orthodoxi, Eutychiani, & tertio illi, qui nulli ſe parti addicebant, Zenonis Henoticum recipientes. Quæ autem, quæſo, vera cauſa, cur Chalcedonenſe Symbolum abrogandum fuerit? anne per hoc Nicæno Symbolo quicquam abrogabatur? minimè profectò, ſed potius arrogabatur. Nam quod Nicænum implicite ſubindicavit, hoc Chalcedonenſe clarioribus verbis evolvit. Unde non immerito *Leontius Byzantinus Monachus* Chalcedonenſem Synodum appellat *omnium ſanctarum Synodorum antegreſſarum ſigillum & obſignationem, quæ Hæreticorum propugnaculum impietatis funditus everterit, & fidei Symbolum roborarit*: vid. *Henr. Caniſ. T. IV. antiq. lection. p.m.* 41. & *Petrus Cnapheus* in epiſtola ad Acacium teſtatur de ipſo, (licet per hypocriſin) *quod ſanctiſſimis ſibi argumentis perſuaſerit, nil in ſanctiſſimo & generali Concilio Chalcedonenſi actum contra iſta Patrum decreta*. Conf. *Evagr. Lib. III. cap. 6. pag.* 1001. Quæ igitur ratio commovebat Zenonem, ut ita à Concilio Chalcedonenſi abhorreret? Nulla certé alia, quam Syncretiſtica. Cum enim Zeno videret, hoc ipſum Concilium expreſſis & claris verbis contradicere Eutychianis, nullo modo id admittere volebat, ſed ita ſe ſtuduit gerere, ut utrique placeret parti, ac ſatisfacere poſſet: neutri enim parti totus addictus eſſe voluit, Orthodoxis ut placeret, Symbolum fidei recenſebat; Ne autem diſpliceret heterodoxis, Symbolum Chalcedonenſe removebat; Et ſic, ut pax iniretur, non curabat, ſive veritas in ſinu & cubilibus ſuis quaſi jam capta & reperta teneretur, ſive non. Nos refutationis loco opponimus dictum *Apoc. III. v. 16.* Οὕτως ὅτι χλιαρὸς εἶ, καὶ οὔτε ψυχρὸς, οὔτε ζεστὸς, μέλλω σε ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματός μου: & *Luth. Tom. VIII. Ienenſ. f.* 199. Es heiſt rund und rein / gantz und alles geglaubt / oder nichts geglaubt: der H. Geiſt läſſet ſich nicht trennen / daß er ein Stuck ſolt wahrhafftig / und das ander falſch lehren / und glauben laſſen.

§. XXIX.

Argumenta, quæ ſupra in præcedẽtibus theſibus enarravimus, quib⁹ etiam Zeno Imperator eos, ad quos ſcripſerat Henoticum, ſuas in partes trahere volebat, non tanti ſunt momẽti, vel

vel valoris, ut Helenam hanc, ſatis ſubdolè exornatam & fucatam, ambobus eſſe brachiis amplectendam perſuadeant. Nil enim ineſt hiſce argumentis vel veri, vel ſolidi; ſed omnia falſitatis plena; quod inveniemus, ſi paucis iſta examinaverimus. Quæ de ſua *pietate & prudentia Imperator in Ethicis propoſuit argumentis*, vana eſſe, ac mera verba, non veritati conſentanea; id non tantum ex §. V. noſtra, ubi vita Zenonis vivis quaſi coloribus depicta, ſed & ex Henotico, apparet; Ubi Imperator clare oſtendit, ſe illud venenatum *Machiavelli: Lib. de Principe cap.* 18. dogma probè addidiciſſe: *Non requiri in Principe veram pietatem, ſed ſufficere illius quandam umbram & ſimulationem externam.* Teſtatur de hoc apertiſſimè iſtius fidei confeſſio, quæ ita ſonat: *Nam confitemur, unigenitum DEi Filium, Dominum noſtrum I. C. verè incarnatum eſſe, conſubſtantialem Patri* &c. Quæ certè tam ſpecioſa eſt, ut Zenonem verè orthodoxum eſſe, firmiſſimè quis crediderit; caveautem! Imperatorem enim tantùm in ore, non corde, habuiſſe pietatem, clarum fiet, ſi cætera Epiſtolæ contenta conſideraverimus. Propoſita ſua confeſſione, veram quaſi fidem approbat Zeno, & tamen ejus tutricem, Synodum nempe Chalcedonenſem, improbare audet; vocabulis utitur ambiguis, nec ſatis claris, quando *Chriſtum* dicit, *unum* eſſe, non duo: nam & hoc Eutychiani affirmabant. Sed Chriſtum ex duabus naturis, ſine earum confuſione, ſine mutatione, conſtare, naturarum differentiam propter unionem minime ſublatam eſſe, ac proprietatem utriuſque naturæ integram ſervatam, negabant Eutychiani, de quibus Zeno tacuit. Videmus itaque Imperatorem hoc tantùm in animo habuiſſe, ut veram Chriſti doctrinam cum Hæreticorum impietate miſceret, etſi aliter videri velit. Anathema indicit cum Eutychi, tum Chalcedonenſi Symbolo aſſentientibus, quæ hæc hypocriſis! Sponte hinc jam ſequitur, pietatem, quam huic Zeno prætendebat negotio, cæcam fuiſſe & Phariſaicam, omnibus veris Chriſtianis abominandam, ita ut Zeno meritò annumerandus ſit illis, de quibus Paulus *II. Tim. III. v. 5.* inquit. Ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. cum quo conjungimus illud Davidis: *Pſal.* CXI. *v.* 10. ראשית חכמה יראת יהוה: & quo judicamus,

 Pruden-

Prudentiam huic negotio à Zenone adhibitam non fuiſſe veram, quod & eventus docuit.

XXX.

Multa deinde commoda Imperator, tam Eccleſiaſtica, quam Politica & privata, in argumentis λογικοῖς *promittebat,* hoc ſuum petitum, ſeu potius mandatum, oſtendens, æquum eſſe & pium. Dubito autem, & non immerito, an aliquod ſit comodum, quod majus poſt ſe trahat incommodum, & non aliter quam illegitimis mediis obtineri poteſt, ſit optandum? Dicebat Zeno in Henotico; Tum conſentiētes laudes Chriſtum approbaturum &c. Cultum DEo acceptum fore &c. imò ita unitam Eccleſiam Diabolum victuram. Concinne hoc ſatis quidem dicitur, ſed non probatur: Chriſtus, quomodo talem unionem averſetur, videmus ex *II. Cor. VI. verſ.* 14. ubi Spiritus S. monet fideles: μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις &c. nullam prorſus μετοχὴν, nullam κοινωνίαν, nullam συμφωνίαν, nullam μερίδα, nullam συγκατάθεσιν, adeoque nullam penitus quocunque veniat nomine, communionem ſpiritualem cum his, qui in fide diſſentiunt, admittens. Quomodo igitur illud, quod Deus imimprobat, poteſt ipſi placere, aut gratum eſſe? Hæc unio porro, quam Zeno infauſto omine moliebatur, vel cum officio vel munere elenchtico Doctorum verbi nullatenus conſiſtere poterat; incumbit enim fidelibus δοκιμάζειν τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστίν: *I. Ioh. IV. v.* 1. ac προσέχειν ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν: *Matth. VII.* 14. ideoque in æternum Orthodoxi cum heterodoxis conſpirare non poterant. Nec Diabolus ita ſuperatur; Quo enim periculoſius ſe habet res publica, ſi ipſi quidam ex adverſariis vel hoſtibus admiſti vivant; Eò & Eccleſia nullo tempore magis Diaboli inſidias timere debet, quam eô, quando cum Hæreticis pax ineunda, qui conjurati quaſi Dæmonis ſunt. Quod Zeno deinde, de tollendis publicæ pacis impedimentis, ſtabiliendo imperio ac promovendis hominum commodis ſibi blanditur; fruſtra certè dicitur. Ponamus enim, eam in religione conventionem reipublicæ quam maximè conducere, cum tamen experientia ſemper contrarium teſtetur, & teſtata ſit; anne ideo iſta admittenda erit, modo reſpublica in temporalibus juvetur? Nequaquam omnium:

ſi quod

ſi quod negotium, ſalva veritate, conſcientia, ac divina gloria, ad reipublicæ Politicum commodum vergat, utique amplexandum & proſequendum eſt; ſin non; fugiendum. Hoc ſi non obſervatur, loco commodi & ſperati boni, nil niſi incommodum & malum obtinetur. Addimus verba, quæ habentur *Ieſa. V.* 20. הוי האמרים לרע טוב ולטוב רע: ubi Væ Propheta minatur illis, qui lucri gratia malum bonum & bonum malum dicunt.

XXXI.

Zeno tandem in argumentis, quæ παθητικά appellantur, ut fortiorem in animis lectorum ſtimulum relinqueret, tam reſpuentibus hoc unionis medium, Anathema annunciavit, quam accipientibus favorem DEI & ſui promiſit. Obtinuiſſet Imperator, credo, cum ſuis illa à DEO bona, ſi ipſum opus quod mente agitabat, & effectum dare laborabat, ritè ordinatum, DEOque gratum fuiſſet. At dum ex illo opere, quod DEUS deteſtabatur, bona divinitus aſſequenda ſibi promittit, in ipſam ſummi bonitatem Numinis delinquit: vanam ergo hanc ſpem fuiſſe, ipſe mox Imperator expertus eſt. Cæterùm cum favori tum anathemati Imperatoris opponimus dictum *Actor. V. verſ.* 29. Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις; Et imitandum proponimus heroicum Baſilii M. exemplum ex *Theod Lib. IV. c.* 17. *p. m.* 683. Baſilium nempe cum Præfectus Cæſaris Valentis hortaretur, ut tempori cedere, neque tot Eccleſias adducere in diſcrimen vellet dogmatis tenui exquiſitione: promitteretque & ab Imperatore illi gratiam, & à ſe occaſione illius multa beneficia; Sanctus ille vir; adoleſcentulis congruere tales ſermones, reſpondit: nam hos & his ſimiles inhiari hujuſmodi rebus, qui vero eſſent innutriti divinis litteris, eos nullam ſyllabam illarum in diſcrimen venire pati poſſe, ſolereque, ſi res poſcat, nullum genus mortis pro illis ſubeundum recuſare: Imperatoris quidem gratiam magni ſe pendere, ſed cum pietate, quâ remotâ, pernicioſam eſſe. Ferebat hoc ægrè Præfectus, ajebatque, eum deſipere. Tum vero M. Baſilius: Utinam ſempiterna, inquit, hæc mea ſit deſipientia.

XXXII.

Quæ autem ex Henotico hoc Zenonis ſcripto, tanquam ex Pandoræ pyxide, ut cum D. Calovio loquar, mala redundarint

rint in Eccleſiam DEI, vix dici poteſt. Effectus enim hujus Henotici fuit uſui contrarius, & tam in Eccleſia, quam in Politia, fruſtraneus. Evolvi poteſt. *Evagr. Lib. III. Niceph. Lib. XVI.* & *Spondan. An. ad An.* 483. 493. &c. Nos illa audiamus, quæ habet *Evag. Lib. III. c.* 30. *p.*1007. ubi, plura paucis, complexus, ita loquitur: *Quod autem ad Concilium Chalcedonenſe attinet, illud id temporis neque palam in Eccleſiis ſanctiſſimis prædicatum fuit, neque ab omnibus rejectum, nam ſinguli Eccleſiarum Præſides pro ſuo arbitratu in ea re egerunt. Atq; ut nonnulli decretis in eo Concilio editis firmè & conſtanter adhæſerunt: & ne quidem ſyllabã de rebus in illo definitis remittere, imò vero ne litteræ mutationem admittere voluerunt, quin etiam ab illis, qui ejusdem decreta repudiabant, magna cum animi confidentia refugerunt, recuſaruntque penitus cum illis communicare: ſic alii non ſolum illud Concilium & ejus decreta rejecerunt, verum etiam tum illud tum Leonis, de fide deciſionem damnarunt anathemate. Alii vero Epiſtolam Zenonis de concordia mordicus tenuere, idque, cum inter ſe, utrum una, an duæ ſint in Chriſto naturæ, graviter diſſiderent. Ac pars eorum ipſa litterarum compoſitione decepti ſunt, pars ad pacem ſe magis inclinarunt, uſque adeò, uti omnes Eccleſiæ in ſeparatas factiones dividerentur, & earum Præſides inter ipſos minimè communicare vellent. Vnde plurimæ diſſenſiones tum in Oriente tum in Occidente, tum in Lybia ortæ ſunt, dum Epiſcopi Orientis neque cum Epiſcopis occidentis, neque cum Epiſcopis Lybiæ, neque ipſi viciſſim Orientalibus in gratiam reduci poterant: ſed res ad majorem abſurditatem in dies prolapſa eſt.*

XXXIII.

Hi præpoſteræ conciliationis diverſarum religionum fructus fuere; Perpetui alias, ac proprii, qui, ſi Zeno legitimum medium adhibuiſſet, exoptati, ſperari poterant: pax enim ſi ineunda eſt in Eccleſia cum aliis, tam *veritas* quam *charitas* nobis ante oculos ponenda eſt. Altera, ut *verborum noſtrorum norma*, altera ut *dux noſtrarum actionum*. Hæc unica & vera conciliandi diverſas religiones media non debent ſejungi ſecundum 2. *Theſ.* II, 10. quando Paulus minatur, Deum impoſturas operantes immiſſurum. ἀνθ᾽ ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς. Et hic obſervandum Salomo-

lomonis dictum *Prov. XXIII*, 23. אמת קנה ואל תמכר: Haſce, inquam, admonitiones Zeno ſequi debuiſſet, & meliori ſane eventu finem ſuum obtinuiſſet, ad quem impetrandum, incaſſum illum laboraſſe vidimus. Veritas in Synodo Chalcedonenſi contenta & approbata, non erat ſupprimenda ſive corrigenda, ſed ſecundum illam omnia exigenda; hoſtes veritatis prius profligandi fuerunt, & tunc templum pacis in veritate Deo ædificandum. Hîc autem ſubſiſtimus, finem Diſputationi noſtræ imponentes, cum factum infectum fieri nequeat. Intimis tandem ſuſpiriis pro totius Eccleſiæ ſalute, DEUM T. O. M. precamur, optantes cum Paulo Rom. XVI. v. 20. Ὁ δὲ *Θεὸς τῆς εἰρήνης ϲυντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ἡμῶν. ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ἡμῶν, ἀμήν.*

COROLLARIUM.

Contra *Iohan. Bapt. de la Barr, Ieſuit.* & *Sam. Bochart, Calvin.* ex litteris ad ſe invicem miſſis.

Nec cum Jeſuita poſſumus affirmare, nullam eſſe inter nos & Pontif. in articulo de S. Cæna differentiam: Nec cum Calviniſta conſentire, qui nos Fratres pro eadem veritate pugnantes appellat, tantum particulares habentes diſſenſus.

Præcellenti Dn. Reſpondenti Amico perdilecto

QUam pulchri, ecce, pedes illorum in montibus altis,
 Pacis qui lætæ nuncia grata ſonant!
Exultat Zijon, vocemque in jubila ſolvit,
 quando audit; Regnum Rex tuus omne tenet.
Pacem hoc Zijonis cupimus quoque tempore cives;
 hâc pro noſtra precum ſeria vota calent.
Sed quæ ſit pax illa, DEO quæ grata piiſque,
 ne pax infelix fallat, *Amice*, doce.

gratulab. f.
Sebaſtianus Schmidt D.
h. t. Univerſ. Rector.

MIlitat in terris Eccleſia, pace fruetur
In cœlis, ubi tuta quies, atque unio ſancta.
Hîc & aperta piis perturbant bella quietem,
Pacis & infidum nomen certamina miſcet.
Vndique vexantur, conturbanturque fideles,
Vndique conſiſtunt, confirmanturque fideles,
Quorum eſt una fides, fidei & confeſſio ſancta,
Quoſve fides juſtos facit, & confeſſio ſalvat.
Hinc labor ille Tuus multa ornamenta reportat,
Vna fides firmat, regit & Te Spiritus unus.

Præcellenti Dn. Reſpondenti f.
Iſaacus Fauſtius. S. Th. D. & PP.
Coll. Theol. p. t. Decanus.

Ad Præclariſſimum Dn. Dieterdt
De
Henotico Zenonis
orthodoxè diſputantem.

LIcet in profanis diſcrepare morum;
quod laudat unus, illud alter improbat;
ſuus cuiq; ritus eſt pulcherrimus:
Secus in ſacris ſe res habet negotiis
Fidei. Voluntas hîc DEI certiſſima
& unica manet norma, cui pediſſequam
eſſe Rationem convenit. ô Eccleſia
noſtra orthodoxa robur optimum! quod &
præclare Dieterdt *ſtrenuè nunc vindicas.*

Amicæ Gratulationis ergò f.
Gerardus von Stöffen / U. J. D.
atq; Inſtitut. Imperial. Prof. P.
p. t. Facult. Iurid. DECANVS.

Ad Præcellentem & Doctiſſimum Dn. Reſpondentem.

HAſce Tuas, Dieterdte, theſes conarer, ut æquum eſt
utque petis, Verſo concelebrare ſtylo,
Conatus at Apollo meos fruſtratur, & inde
Laude tua dignum ſcribere Muſa nequit.
Ergo, quod ſupereſt, placeat præ Carmine Votum
quod nunc, ſubſtituens Mente favente precor;
Quos Pietas, ſtudium, & doctrina merentur honores
ut fauſti obtingant Sideris Auſpicio.

J. C. M. Dd.

Momen-

Monumentum Zenonis in gratiam pacificatorum.

HIc jacet Zenonis, non corpus ſed conatus:
Jacent reliquiæ, vanorum conatuum non vana imago.
Nam, ut olim
Horridum corpus immeritus ornavit honos;
Sic
Specioſo unionis lucro ludens pacis umbra,
Umbratilem agitavit animum.
Hic Zeno erat,
Qui cœnoſo glutine coadunavit diviſos;
Et illos,
Qui Chriſti naturas miſcebant, cum orthodoxis miſcuit.
Ipſe imperatoriæ filiæ indignus ſponſus,
DEI filii ſponſam non digne curavit.
Aulam fœdavit voluptatibus,
Eccleſiam miſerè contaminavit,
Irenico vere Ironico.
Hoſtes DEI recepit, ut debellaret ſuos;
Uniendo cives, diſſipavit Chriſtianos.
Tandem
Sepultus eſt prius quam mortuus.
Et in ſe pœnas luit veritati,
Quam ſopire voluit, quia extinguere non potuit.
Factus jam Zeno,
In ſupremo poteſtatis gradu, impotentiæ humanæ
Non ſimplex exemplum.
Cogita nunc Viator,
Utrum melius; in diſſidiis puritatem colere fidei?
aut
Impura concordia, ſalutis corrumpere dogmata?

Propter ſuaviſſimam amicitiam cum eruditiſſimo diſſertationis auctore, apud magnum veræ eruditionis doctorem Excell^m. D. Ezardum, ante biennium initam

poſuit

JO. GEZELIUS. J. F.
Suecus ex Finlandia.

QVæ ſocios ſimulans vafrô fucata colore
ingenuum properas turba ſubire gregem,
Gens diſpar cunctis, cunctis aptiſſima formis,
(nemo tot Proteus verteret ora modis.)
Subdola, callida perque umbras ſectata viarum
anfractus, Græcam gens dare prompta fidem?
Forma placet; pigram ſed olet ſine mente Mephitim,
ſit niſi ſenſus iners, fortè cadaver iners.
Aut tua, Papa, novo ſtratagemate cornua * fallunt,
aut Gens furtivô calva capillitiô.
Ita ergo, DITERDT E *ſagax*, larvâque retractâ
detege fallaci Cornua, Calvitium!

* *Apocal. XIII. 11. ſeq.*

Clariſſimo Domino Autori, Amico meo æſtumatiſſimo gratulabundus, ſcribebam
M. Johann. Valentinus Hübner. *M.H.*

FIſtula dulce canit Syncretica Carmen Amoris,
Quo nihil è pulchris pulchrius eſſe poteſt,
Quoq; ſuos mutuò ſe amplecti ritè Fideles
Chriſtus noſter amor, vita ſaluſque jubet.
Fiſtula dulce canit, ſubitam ſed decipit auceps
Creticus, inſidiæ ni caveantur, avem,
Ni, pax vera. & caſſa dolo concordia amorq;
Laudem divinæ qui pietatis habet,
Quantum à fallaci diſtet, fucoque profano
Turpi, diſtinctum mentis eatur ope,
Atq; ſemel captam cæcas à Luce tenebras,
Et Lucem à tenebris cernere tota vetat.
Vnde fit, ut tandem cæcis ea lapſibus orcum,
Cæca petat, miſerè ſic peritura ſibi.
Sicut, cum Siculis nautæ Sirenibus aures
Incauti faciles, interire, darent;
Nec ſecus ac Phrygii celebres cecidere, Sinonis
Blandiloquæ poſtquam linguæ habuere fidem.
Sic hodiè prædulce canit Syncretica Carmen
Fiſtula, ſed cunctis exitiale Suis.
Sic olim cecinit, ſummi cum ſceptra teneret
Imperii, nullo dignus honore, Zeno,
Eutychis inſanos ſocios quem juvit in unum
Cogere, cum Turbâ dogma tenente pium.
Cujus dum reprobas auſus, Clariſſimè Dieterdt/
Senſum perpurum in Relligione probas,
Qui ſtudiis ſummâ geſtis cum laude revinctus,
Sioni patriæ commoda magna dabit.

Hæc præcellenti Dn. Authori, Amico ſuo, ut intimo, ita honoratiſſimo φιλοφιλίας ἕνεκα *ſcr.*
Iohannes Morſtatt/SS. Theol. Stud.

FINIS.